TYRO MEDICUS
IN
PATHOLOGIA
PRINCIPIIS MODERNORUM
CHYMICO-MECHANICIS INSTRUCTUS
SEU
LIBER II.
INSTITUTIONUM
MEDICINÆ,

In quo Status hominis morboſus ex Corpuſculari-bus, ac Anatomicis experimentalibus tum Philoſophorum, tum Medicorum Modernorum Principiis chymico-mechanicè expoſitus,

In Uſum ac commodum Tyronum,

In Alma, Catholica, ac Electorali Univerſitate Ingolſtadiana

Publicæ, & Inaugurali, Diſputationi ſubjectus

A

JOANNE BAPTISTA NEEFF,
Philoſophiæ, ac Medicinæ Doctore, Sereniſſimi Electoris Bavar. &c. Conſiliar. Inſtitut. Medicar. Profeſſore ordinario, & Reverendiſſimi, ac Sereniſſimi Principis, & Epiſcopi Friſingenſis, & Ratisbonenſis Medico Cubiculario, p. t. Facultatis Medicæ Decano.

DEFENDENTE

Ornatiſſimo, & Doctiſſimo Domino

FRANCISCO FRIDERICO FRINGS, AUGUSTANO SUEVO, Phil. & Medicinæ Candidato.

INGOLSTADII, Typis Godefridi Zipper, Typogr. Acad.

307417 (2)

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

ILLUSTRIBUS
GENEROSIS

PRÆNOBILIBUS, STRENUIS,
MAGNIFICIS, ET AMPLISSIMIS,

DOMINIS, DOMINIS
PRÆFECTIS,
DUUM VIRIS,
SENATUS SECRETIORIS
SEPTEM VIRIS,
CONSULIBUS,
CÆTERISQUE
SENATORIBUS
Cæſareæ ac Liberæ S. R. I.
Reipublicæ Auguſtanæ,
PATRIÆ PATRIBUS,
AC
DOMINIS, DOMINIS MEIS GRATIOSISSIMIS.

ILLUSTRES, GENEROSI, PRÆNOBILES, STRENUI, MAGNIFICI, ET AMPLISSIMI

Domini Domini Gratioſiſſimi.

MArci Tullii Ciceronis querela eſt, bonas litteras, & optimas quásque artes apud Veterum, etiam Romanorum non paucos eò faſtidii fuiſſe adductas, ut, quidquid præter agriculturam, Politiámque, artium etſi Liberalium, eſſet, id alii universè deſpicerent. alii etſi artes ipſas boni conſulerent, tamen earum curationem indecoram Principibus Civitatis exiſtimarent. Quæ cauſa fuit, opinor, ut, cùm ex illa obſcuritate, ac longo veluti ſitu eluctatæ bonæ artes, denique in Auguſti Cæſaris Aula quemdam MOECENATEM inveniſſent, qui non infra dignitatem facturum ſe crederet, ſi publicum illis præſidi-

ſidium, favorémque impenderet, tanta repentè exſtiterint in eum virum Litteratorum omnium ſtudia, ut rei Litterariæ Proceres publico quaſi voto conſciſcerent MOECENATIS Nomen æternum eſſe oportere, &, ut quisque deinceps MOECENATIS erga Muſas officia imitatus fuiſſet, ita in Eo MOECENATIS Nomen, honoris & gratitudinis causâ ponendum eſſe.

Nunc ego in VOS, PATRIÆ meæ PATRES, ſi intueor, videor mihi ex verò pronuntiare, in VOS ab Auguſti Cæſaris Aula, uti Nomen ipſum Civitatis, ita perpetuum bonis artibus patrocinandi morem profluxiſſe. Enimverò habuêre in Curia Veſtra artes omnes ſuos ab omni tempore MOECENATES, QUORUM cura ac providentia factum, ut artium omnium domicilium Auguſta fieret, & quidquid ubivis terrarum ùt fabrê, ſcitéque factum admirationi eſſet, id Auguſtæ jam ipſa ſui copia, ac longo uſu propemodùm evileſceret. Sed hanc Veſtræ laudis partem, quæ à Mechanicarum artium cultu inſtruitur, utì à meis ſtudiis aliena eſt, ita perſequendam aliis facilè relinquo. Verùm imprimis mihi commemorandum exiſtimo, quod Sapientiſſimis Majoribus Veſtris conſiliô (non plurimis fortaſſe Europæ civitatibus ſuſceptô) placuerit, magnifico

ſump-

ſumptu liberalibus Diſciplinis, & ſcientiis omnibus grande ſacrificium facere, & conquiſitis undique codicibus Bibliothecam publicè conſtitui, qua fieret, ut, quidquid uſpiam ſciretur, illud ignorare ne Auguſta cogeretur, & Auguſtanorum nemini, quò minùs eruditionem conſectetur, liceat paupertatem & librariæ ſupellectilis indigentiam excuſare, quando publicis impenſis, & Magiſtratuum providentia, Libri quique optimi tantâ copiâ præberentur, ut, qui numerum intueatur, vix habitum eſſe delectum exiſtimet; qui verò delectum attendat, jam de ejus Scriptoris præſtantia præjudicium capiat, cui viderit locum in illo Sapientiæ adyto contigiſſe.

Hæc Majorum Veſtrorum in Rempublicam Litterariam beneficia uti VOS, PATRIÆ PATRES, non conſervare tantùm, ſed augere ſtudetis in dies; ita illam de qua initiò dixi, Marci Tullii querelam procul ab veſtra Curia removetis. Nam quos Illa ſemper habuit, Eos in VOBIS habet hodiedum Lucullos ſuos, M. Catones, & P. Scipiones, qui inter forenſium Cauſarum turbas, & graviſſimos, quos gerunt, Magiſtratus exiſtiment, eas ſibi artes non eſſe dedecori, quibus ipſi quondam fuiſſent ornamento; quin imò hanc muneris ſui partem non minimam eſſe, accuratè provide-

re,

re, ut diſciplinis omnibus ſua & adjumenta; & illicia in publicum abundent, & ipſis diſciplinarum Alumnis in humanitate ſua Perfugium ſemper ſit apertum.

Igitur de hac animi Veſtri ſententia cùm ego perſpectum penitùs, exploratúmque haberem, nihil omninò fuit, quod abſterreret, imò, quæ me impellerent, omnia, ut ſtudiorum meorum finem, unà cum hoc libello VOBIS ſacrum facere, quósque Scientiæ collegiſſem manipulos VESTRIS manibus fovendos, protegendósq; auderem committere; quod quidem ipſum ut facere mihi liceret, cùm Parens meus, qua par eſt, demiſſione rogaret, VOS gratioſiſſimè non minùs, quàm promptiſſimè annuiſtis, nimirum uſu jam continuo aſſueti, ita communibus Patriæ utilitatibus impendi, ut & privatorum voces non ſurdas VOBIS feriant aures, ſicque omnium ſtudere commodis, ut ſingulis proſpiciatis.

Utor hac conſuetudine VESTRA in rem meam, atque ſtudiorum meorum, quæ Patriæ pridem ſacra ſunt, anathéma ad VESTRUM, PATRIÆ PATRES Tholum ſuſpendo; indéque viciſſim mihi omnia ſcio abundè affutura, quæ in laboris hactenus mei fructum, præmiúmque concupiſco: nam lucem imprimis huic lucubrationi exſpecto ? ab VESTRI Nominis

Cla-

Claritudine irradiabitur. Patrocinium quæro ? MOECENATES eſtis, quàm Potentes, tam Gratioſi. Benevolentiam ſpero ? hæc VOBIS eſt propria, qui, cùm in Subditos omnes Benigni perpetuò, Facileſque ſitis, tum ijs præ cæteris favere ſoletis impenſiùs, qui talibus diſciplinis animum excolunt, quæ publicis aliquando poſſint commodis deſervire. Hunc finem, cùm mea hactenùs ſtudia unicè ſpectarent, jam arbitror primum à Benignitate VESTRA fructum me percepiſſe, quod eorundem ſtudiorum Coronidem liceat Eorum publico Nomini conſecrare, QUORUM devotiſſimis in obſequiis ſtudium, ac vitam mihi cupio omnem decurrere.

Illuſtr. Generoſ. Prænob. Stren. Magnif. Ampliſſ. & Gratioſiſſ. Dominationum, Dominationum veſtrarum

Cliens devotiſſimus

Defendens.

APPROBATIO THEOLOGICA.

PErgit Clariſſimus & Celleberrimus Author rempublicam Litterariam atque præſertim ſcientiam medicam eruditiſſimis & doctiſſimis lucubrationibus illuſtrare; & dum Tyronem Medicum ulteriori Inſtitutionum Medicarum notitiâ præclarè imbuit, plurima ſuggerit ipſis etiam in arte Magiſtris utiliſſima, quæ pro merito ſuo lucem publicam depoſcunt, præſertim cúm nihil omninò contineant fidei & bonis moribus adverſum. Ita Cenſet

FRANCISCUS SEEDORFF, S. J.
SS. Theol. Prof. ordin. & S. Facultatis p. t. Decanus.

APPRO-

APPROBATIO MEDICA.

TRactatus hic Medicus, ſeu Inſtitutionum Medicarum liber II. DE PATHOLOGIA eâdem claritate, utili prolixitate, & ſoliditate Diſcentibus accomodatâ, ac liber I. antehac editus ſe, & Authorem ſuum Clariſſimum commendat, hinc luce publica, & Palæſtra Academica pariter digniſſimum cenſeo

JOANNES JACOBUS TREYLING Phil. & Medicinæ Doctor Seren. Elect. Bavar. Conſiliarius, Medicinæ Theoricæ Profeſſor Ord. Illuſtris. S. R. I. Academ. Carolino. Cæſar. Natur. Curioſ. Collega fac. Med. p. t. Vice-Decanus.

PRÆFATIO.

QUòd his in terris ſumma hominis felicitas ac beatitudo unicè in bona valetudine conſiſtat, adéoque nihil dulcius, nihil exoptatius, atque præſtantius eidem accidere poſſit, quàm ſi proſpera ac firma ſine animi ac corporis dolore ſanitate fruatur, extra dubium eſt, & in confeſſo apud omnes, ùt opinor, quòd equidem licèt de ſe etiam certius ſit, quàm quod certiſſimum, mirari tamen ſatis non ſubit, nonnullorum in hoc genere miſeriam, imbecilitatem ac dementiam, quòd tantum, eúmque ſummum, qui in vita poſſidetur, theſaurum majori ſollicitudine, vel non curent, vel ſæpenumero etiam data quaſi operâ ſcientes ac incurij perdant, prodigant ac peſſundent, ſícque vitæ ſuæ, cujus tamen ipſi Domini non ſunt, filum intempeſtivè abrumpant.

Quod cùm à multis fiat, longam vel brevem, adverſam vel ſecundam valetudinem inevitabili cujusdam neceſſitatis fato ab ijs adſcribi neceſſe eſt, perſuaſis forſan, quòd terminum poſuerit nobis Deus, quem tranſgredi non poſſimus, quæ tamen perſuaſio, quemadmodum nemini magis perniciosa eſt, quàm ipſis ſuis fautoribus, dum illos in maximas ſanè miſerias ac morbos præcipitat, quibus oppreſſi aut diu vexantur, aut ante diem fatis concedere coguntur, ita etiam falſa ac erronea deprehenditur ex eo, quòd licèt præfixum habeamus terminum, ultra quem vita hominis extendi non poteſt, non eſt tamen, quòd eundem neceſſariò aſſequi debeamus, niſi per debitam certámque vivendi rationem, fruſtra enim aliàs medicus foret, ac medicina, quam tamen propter neceſſitatem ab Altiſſimo creatam legimus in ſacra pagina. Ad morbos itaque in tempore avertendos, hominémque quacunque demum ex cauſa in illos inciderit, priſtinæ valetudini reſtituendum, atque ita à morte præmatura vindicandum ac liberandum data eſt à Deo Medicina, & ars Medica excogitata, eúmque in finem & ab hominibus exculta, ſempérque magis & magis excolitur hodie, in qua tamen ita excolenda, ac debita hujus ſcientia comparanda juxta illud:

non

non ſatis eſt hominis ſanum cognoſcere corpus, ſed quid morboſum ſit quoque noſſe decet, adeóque non tantùm ſcire oportet, Medicum ſcientificum ea quæ hominem ſanum conſtituunt, ac naturaliter afficiunt, de quibus libro priore, ſed illorum etiam, quæ contraria ſunt, atque quà talem deſtruunt, ægrúmque efficiunt, notitiam theoricam habere debet exactam, priusquam Praxim ipſam accedat, & practicam finis ſui, executionem aggrediatur. Ut ergò Tyro Medicus in his inſuper debito modo inſtruatur prævië, finémque ſuum eò certiùs ac faciliùs, ſecundum modò, & quidem neceſſitate ordinis conſueti Inſtitutionum Medicarum Librum ſubjungimus, qui proin præcipua ac ſcitu maximé neceſſaria Doctrinæ Medicæ omnium earum rerum, quæ humani corporis ſanitatem lædunt, capita ac fundamenta complectitur, naturam & differentias generaliter exponit, atque genuinas morborum cauſas & originem primam ex verioribus Modernorum inventis Anatomicis ac principijs phyſicis diſtinctè evolvit, ſed etiam morbos ipſos, horúmque ſymptomata ex ijs diligenter inveſtigat, ut hac ratione cognito ſtatu hominis præternaturali etiam, ad naturalem is denuò reduci, morbíque aufferri queant, quorum theoricam, ſi quis ſufficientem ſibi comparaverit, opus non

habebit praxim aggreſſurus, ut de arcanis ac famoſis remediis aut expoſitionibus ſolicitè angatur, in iisque ad expugnandos morbos conquirendis operoſus ſit, aut nimiúm ſumptuoſus, cùm ex Cappivaccij feliciſſimi ſui temporis, ac magni nominis practici, quin imó ex Divini noſtri Hippocratis ac Protoparentis effato, aliorúmque omnium verè Doctorum Medicorum ſententia, ſummi arcani poſſeſſor ille ſit, qui in ſcholis didicerit veram methodum talem nempe, quæ in theorica rationali ac ſcientifica, aut morbi, cauſarum hujus, & symptomatum debita & exacta cognitione fundata eſt. Ita autem in pertractando hoc libro procedemus, ut, ſicuti primus tres ſibi partes vendicat, ita præſens in in totidem dividatur, in quarum prima de morbo ipſo ejus natura ac ſubjecto, atque differentijs, quam propterea Noſologiam dicimus, in ſecunda de cauſis morbi generalibus ac ſpecialibus, quam æthiologiam appellamus, & in tertia demum de effectibus ſeu accidentibus aut symtomatis morbum inſequentibus, quam proin Symptomatologiam vocamus, non nihil fuſiùs tractaturi ſimus, ubi veras à falſis, claras ab obſcuris, utiles ab inutilibus, inanique ſpeculatione plenis, evidentes ab occultis càutis pro viribus ritè diſcernere ſtudebimus.

SECTIO UNICA.
PARTIS ACCIDENTALIS
De
Prolegomenis Pathologiæ.

EX Phyſiologia ſcimus, ibidem pro inſtituti ratione ſtatum hominis naturalem, ſeu quod idem eſt, ac ſanum fuiſſe examinatum, atque ſub illa tractandi ratione primò ſanitatem, dein cauſas hujus, ac demum effectus in conſiderationem nobis veniſſe. Præmiſſis iis etiam, quæ de Libri illius Prolegomenis ceu parte accidentali in ſcholis diſputari ſolent.

Cùm igitur ſecundus, quem modò tractandum aſſumimus, Inſtitutionum Medicarum Liber ſtatum hominis morboſum indaget, adeóque ratione ſui objecti, ac materiæ, quam tractat, priori è diametro oppoſitus ſit, contrariorum autem habeatur eadem ratio, eandem etiam & hîc adhibemus tractandi methodum, atque ità non ſolùm omnia illa, quæ hanc partem Theoricæ Medicæ primariò ac eſſentialiter complent, morbum nempe, cauſas hujus, ac ſymptomata, quæque Noſologiam ſic dictam Æthiologiam, ac ſymptomatologiam nobis conſtituunt, juſto ordine proſequemur, ſed & ea ſimul præmittimus, quæ deLibri hujus Prolegomenis ſcire oportet, Tyronem Medicum, mox ad illa, quæ magìs ſubſtantialia, ac principaliora eſſe diximus, recto tramite tranſituri.

QUÆSTIO UNICA.

De Pathologiæ natura, diviſione, objecto, ac neceſſitate ſeu utilitate.

SUMMA.

1. Quid propriè Pathologia, ac qualis? 2. Quæ nominis hujus ratio Etymologica? 3. Quotuplex ſit illa? 4. Quodnam objectum Pathologiæ? 5. Quid ſint res præternaturales? 6. Quotuplices iſtæ?

§. 1.

PAthologia eſt ea Medicinæ pars miniſtra ac minùs princeps, quæ doctrinam tradit de ſtatu hominis morboſo, aut conſtitutione præternaturali, adeóque in homine occurrentes ſpecialiter indagat & exponit, & ita theoricam ſtatûs corporis humani morboſi cognitionem ſuggerit. Atque hac definitione circumſcripta Pathologia, quatenus exquiſitam & accuratam rerum illarum omnium, quæ ſtatum hominis naturalem aut ſanum mutare, inque præternaturalem aut morboſum deturbare poſſunt, ſcientiam ſuppeditat, à fictitia & hypothetica benè diſtinqui debet, prouti docet Hippo. libello, qui lex inſcribitur, dum §. 3. ita ait. duo ſunt ſcientia & opinio, quarum altera quidem ſcire facit, altera verò ignorare. Prioris generis eſt vera, quæ modò definita eſt, atque ex certis principiis phyſicis ac demonſtrationibus anatomicis deductiones ac concluſiones ſuas in praxi utiliſſimas format, dum econtra altera ſeu poſterior ceu ſuperficiaria & vulgaris, atque Empyricis familiaris ſingularibus tantùm experimentis, atque dubiis quibuſdam hypotheſibus fundatur, è quibus nihil ſolidi eruitur, neque rectè ratiocinationi fundamentum Medico præbere poteſt, quemadmodum præbet illa, quæ ex dictis principiis veris, aliundè cognitis phænomenorum atque effectuum ſenſibilium cauſam, modum ac finem indagans, certa ſibi theoremata format, juxta quæ dein practicè procedit & operatur.

§. 2.

§. 2. Nomen Pathologiæ, nemo niſi omninò hoſpes in lingua græca fuerit, vocabulum græcum eſſe, idque à duplici verbo πάθος & λόγος derivari ignoraverit, ubi tamen notandum per τὸ πάθος non denotari aut intelligi hîc tantùm affectus aut pathemata animi vehementiora, vel ſymptomata corporis ægroti quà talia, multò minus ex his actiones ſolùm læſas, ſed omne illud, quod in corpore humano præter naturam ſe ſe habet, ſcilicet rem omnem præter naturatem collectivè ſumptam, id eſt tam morbum, quàm cauſam morbificam, atque etiam ſymptomata aut effectus illius in homine occurrentes eumque contra vel præter naturam, de quo mox, ſenſibiliter afficientes. Hinc eſt etiam, quòd minùs accurate, & juſto ſtrictiùs noſtro judicio per ſynonimiam hic liber ætiologia, utpote hæc juxta priùs dicta de ſolis cauſis prôprie agit, atque inde partem tantùm Pathologiæ, non verò totum Pathalogiæ librum nobis conſtituat.

§. 3. Duplex autem communiter ſtatuitur Pathologia vera, ſenſualis una, & intentionalis altera. Prior, quæ ad Anatomicos ſpectat, iisque ſolùm propria exiſtit, ea dicitur, quæ ſenſu & avtopſia in præternaturalem partium conditionem inquirit, & ſtatum humani corporis morboſum examinat, de qua dici vix poteſt, quantam ad morborum mortiſque cauſas eruendas ac detegendas utilitatem præſtet per ſectiones, & oculares cadaverum morbis extinctorum ſolerter factas inſpectiones, licèt negari haud poſſit, ea omnia, quæ in diſſectis corporibus ſæpiùs occurrunt, ac obſervari ſolent, non ſemper pro prima aut proxima cauſa habenda eſſe, ſed pro effectibus ſolumodo aut productis morboſis. Non verò tamen accidit, quòd inſolitorum nonnunquam morborum, atque aliàs non ita facilé cognoſcibilium ſymptomatum cauſæ occultiſſimæ & abditiſſimæ in apricum veniant, ac clarè detegantur, uti patet in polypoſa ſive in ipſo corde, ſive vaſis majoribus concretione, vel abſceſſibus meſenterij, aliarùmque partium, vel latitantibus in veſcicula fellea, aut veſica urinaria calculis, vel vaſorum tam ſanguiferorum quàm lymphaticorum ruptionibus, glandularum tumoribus, atque viſcerum corruptionibus ac putredinibus &c de quibus antea nemo cogitaverit, & interim neſcio quæ eæque prorſus alienæ ac remotiores cauſæ à Medicis etiam celebratioribus aſſignatæ fuerant, ùt ita rectè ſuadent accuratiores Practici tales ſectiones, quia plurimùm in ijs ſitum eſt, in ordine ad veram cauſarum

rum

rum morbi cognitionem eruendam, eſſe crebriùs inſtituendas. Poſterior, de qua hic maximè loquimur, & ex profeſſo tractamus, ſeu rationalis eſt, quæ intellectu au mentis operâ ſeu meditatione ſolùm vel ſpeculatione ſtatum hominis præternaturalem, & quidquid illud morboſum conſtituit, indagat, ac cognoſcere intendit, idque rurſus vel partialiter ac in ſpecie vel individuo, quod in praxi faciendum, aut generaliter, quod propriè hujus eſt loci, & nobis jam facere incumbit, atque pro triplici rerum præternaturalium numero poſtmodum pluribus exponendo in dictas tres partes nempe Noſologiam, Ætiologiam, ac Symptomatologiam neceſſariò dividenda venit.

§. 4. Ex data definitione & appoſitorum ratione, quæ inter hunc librum, ac præcedentem intercedit, ſatis porrò liquet objectum ſeu ſujectum Pathologiæ materiale aliud pariter non eſſe, quàm corpus humanum morboſum, ſeu quod idem eſt, illud præter naturam conſtitutum, vel res præternaturales ipſas corpus ita diſpoſitum efficientes; formale autem ſive finem illius, eúmque intrinſecum, immediatum, proximum, ipſique proprium dicti corporis humani quà talis aut ægri cognitionem rerúmque præternaturalium notitiam ſpeculativam harúmque ſcientiam theoricam, extrinſecum verò ac remotum, ad quem ſcilicet internus ex natura ſua dirigitur, ipſam tandem corporis humani ægri aut morboſi per legitimas indicationes curationem, atque rerum iſtarum ablationem. Quod ſi requiras, ut aſſerti rationem reddamus, argumentum aliud non adducimus, neque opus eſſe credimus, quàm quo uſi ſumus de objecto Medicinæ in genere. Unde patet, quantus ſit inter partes Medicinæ nexus quámque arctiſſimè inter ſe cohæreant omnes, ita quidem, ut una ſine altera plenè & exactè nequeat intelligi ac poſſideri; ſic phyſiologia, quæ dum corporis humani vivi ac ſani notitiam ſpeculativam ex naturæ legibus tradit, atque ideò in veras vitæ ac ſanitatis cauſas unácum effectibus ejus debitè inveſtigat, cæterarum ſe quaſi matrem ac baſin eſſe probat, ſicuti eſſentialiter ordinatur ad Hygienem tanquam partem magis principem, in qua corpus humanum in ſtatu naturali conſervandi methodus docetur, ita à contrario Pathologia, quatenus naturam morbi, hujus genuinas cauſas & effectus ex ordine effectum ſanitatis perverſæ exponit, de ſe ad Therapiam refertur ac ultimò dirigitur,

in qua dein morbis medendi methodus monſtratur per prudentem ac debitam auxiliorum aut remediorum applicationem.

§. 5. Res illæ, quas præternaturales vocamus, ideò ſunt ac dicuntur tales eóquod à rebus naturalibus, quæ juxta naturæ leges ac præſcriptum nobis inſunt, recedant, corporis noſtri viventis ſanæ conſtitutioni non conveniant, atque adeò non juxta vel ſecundùm, ſed præter naturam in nobis ſe ſe habeant, hinc fit quod partes corporis noſtri à ſuo ſtatu, & functione vel conſtitutione naturali ſenſibiliter aberrent, sicque actiones debitæ & ad ſanè vivendum requiſitæ quacunque demum ex cauſa à recto ac ſibi connato naturaliter agendi tramite devient, & varia ſymptomata aut accidentia morboſa pronaſcantur, quibus ſtatùs hominis naturalis immutatur, ac perturbatur, unde meritò res illæ præternaturales vocari conſueverunt. Ab hac tamen uſitata phraſi, communíque loquendi Pathologicorum modo recedunt aliqui cum Fernelio, qui lib. 1. Pathol. c. 2. inter res præter, & contra naturam ita diſtinquit, ut morbum rem non præter, ſed contra naturam eſſe dicat, quia, prout ipſe quidem ratiocinatur, res præter naturam ſit omne illud dicendum, quod quidem juxta naturæ leges, ejúsque exigentiam in corpore noſtro vivente ſe ſe non habet, interim tamen eidem etiam vim ſenſibilem aut moleſtiam notabilem non infert, conſequenter manifeſtè non lædit, exemplô ùt patet, conſpicuo ſatis in colore ictericorum, in lentigine faciei, aut ulcuſculorum calore à ſolis radijs indicto; econtra rem contra naturam omnem corpus noſtrum ſemper manifeſtè ac ſenſibiliter lædere contendit, ùt facit morbus omnis, aut diſpoſitio morboſa; quaſi verò mutatus corporis habitus quoad colorem ac qualitates viſibiles non eſſet ſenſibilis effectus morboſus in aliorum oculos incurrens; ac ſatis moleſtus, prout in parte 3. dicetur. Deinde eò minùs hunc Ferneli, aliorúmque ſcrupulum attendendum eſſe putamus, quò magis conſtat, à majoribus noſtris omnibus, atque Antiquis Artis noſtræ Proceribus, ùt notat Vallerioſ. l. 3. loc. com. c. 1. unácum RR. ac modernis paſſim morbum rem præter naturam ſeu præternaturalem hucuſque fuiſſe appellatum. Placet ergo vocabulum hocce civitate Medica jam dudum donatum in priſtina ſua acceptione retinere, atque res illas, quæ naturæ fines excedunt, eíque repugnant, potiùs præternaturales appellare, non tamen arguendo erroris quemdam præſertim gravis ſi morbum, vel cauſam

ejus, aut ſymptoma res nunc præter, nunc contra naturam ſine diſcrimine appellaverit, cùm parùm referat, ſive hoc ſive illo modo accipiatur.

§. 6. In triplici autem differentia res ſic dictæ præternaturales conſtituuntur, uti communis vult doctrina præeunte ipſo Galeno l. 2. meth. med. c. 3. & l. de ſympt. diff. c. 1, ubi ait: *omnis igitur corporis affectus, qui à naturali ſtatu receſſit, vel morbus eſt, vel morbi cauſa, vel morbi ſymptoma* quatenus enim primò iſte ſanitati opponitur morbum conſtituit, in quantum autem ſecundò quandam ſui originem ſupponit, ac ſine cauſa exiſtere nequit, ideò & altera res præternaturalis ſeu cauſa adeſſe rectè arguitur, quatenus demum tertiò ex præſente morbo alia rurſus accidentia, atque affectus morboſi, homini ſubinde magis, quàm ipſe morbus, moleſti ac infeſti ſubſequuntur, ſymptoma exurgit tanquam tertia res præternaturalis, quæ tamen omnes inter ſe conuertibiles exiſtunt, ſæpe namque (quod benè notandum) dicta morbi cauſa morbus evadit reſpectu ſymptomatis, & morbus reſpectu ſymptomatis fit ejus cauſa, ipſúmque ſic dictum ſymptoma nonnunquam etiam cauſæ, morbíque naturam induit, prout rurſus ac fuſiùs alibi oſtendetur.

§. 7. Quàm utilis, imò quàm neceſſaria hæc Medicinæ pars ſit, maximè elucеſcit ex eo, quòd Medicus finem ſuum ultimatum ac præcipuum, qui eſt morborum per prudentem ac debitam auxiliorum ac remediorum applicationem ablatio, & curatio, cujus methodum Therapia tradit, nunquam ſit aſſecuturus, niſi hauſta vera morborum, cauſarum morbificarum, atque ſymptomatum cognitione cùm non ſufficiat Medico ægrotantis corporis naturam, quod quidem primum eſſe debet, exactè habere perſpectam, ſed requiratur inſuper, ut morbi genus ac genium, cauſas itidem hujus, atque effectus accuratè diſtinquere ſciat, prouti ratio evidenter monſtrat, ac apertè docet Hyppocrates lib. de flatibus §. 3. qui ſi quis, inquit loc. cit. morbi cauſam cognoverit, is utique ex his, quæ in corpore inſunt, adepta per contrariam morborum cognitionem, facilè poterit, quæ conferunt, afferre, quem locum etiam Libr de arte quaſi exponit clariſſimis verbis: ſi ſuffecerit Medicus ad cognoſcendum, ſufficiet etiam ad curandum. Cùm igitur prima baſis curandorum morborum ſit recta eorundem cognitio, iique rectè curentur nunquam, niſi per propria ſymptomata ceu ſigna cogniti, cauſáque illorum ablatâ apparet ſanè quantum interſit,

ſit, exquiſitam rerum præternaturalium, de quibus Pathalogia ex inſtituto tractat, habere notitiam, ut adeò mirum non ſit, aliquos tantùm in curatione aberrare, quantùm in cognitione morbi falluntur, ideóque ſummam exigere neceſſitatem, ut talem ſibi comparet, omnem poſſibilem etiam huic Libro operam impendat Tyro Medicus, antequam ad praxin ipſam accedat.

PARS PRIMA PATHOLOGIÆ

ſeu

Noſologia.

De morbo corporis Humani.

SECTIO I.

De morbo, ejus natura, differentia, ſubjecto, ac tempore in genere.

NOſologia in qua jam morbum explicandum aſſumimus, à græco vocabulo νόσοσ & λόγοσ ſeu logia compoſita eſt, atque ita origine ſua vox græca eſt, quæ latinè idem ſignificat ac ſermo, narratio aut tractatus de morbo. Quantum malum ſit morbus, non opus eſt pluribus deſcribere, ſufficit hîc nobis eum per diſpoſitionem corporis noſtri præternaturalem ſiſtere, quemadmodum enim ſanitas in liberrimo atque integro actionum exercitio, ita morbus in eodem quacunque ex cauſa vitiato aut læſo conſiſtit. Ex quo patet, morbum ac mortem non niſi ſecundùm magìs & minùs ab invicem diſtare, quatenus nempe in hoc datur omnimoda actionum omnium extinctio aut ceſſatio ſive plenaria circuli ſanguinis, motuùmque in ſolidis peragendorum deſtructio, quæ dein putredinoſam corporis corruptionem poſt

ſe trahit, in illo verò defectus tantùm aut quoddam earundem vitium notatur, ubi tamen homo ſimpliciter adhuc, licèt miſerrimè vivere dicitur; qui explicandi modus eſt RR. Modernorum, ſpeciatim Mechanicorum, rationem morbi, mortísque formalem & adæquatam vel in depravatione vel omnimoda actionum abolitione ponentium, atque genuinas illorum cauſas in motum cordis, & circulum ſanguinis refundentium, horum enim vitio poſito ponitur & morbus, eóque penitùs ceſſante ceſſat & vita, quod ipſum etiam confirmat Hippocratica doctrina, dum Cous noſter, cùm utriuſque rationem, cauſáſque reddit eas prorſus mechanicè, ac dependenter à motu interno tam ſolidorum, quam fluidorum maximè ab hoc ſanguinis circulo dudum explicavit, ſic enim habet l. 4. de morb. §. 11. *Donec vivit homo, venæ apertæ ſunt, & ſuſcipiunt, & dimittunt humorem, ubi verò mortuus fuerit, clauduntur, & extenuantur.* Ita ille, & quidem appoſitiſſimè ad datam à nobis ex RR. placitis morbi, quem pro noſtri inſtituti ratione ulteriori indagine proſequi intendimus, à morte ipſa differentiam.

QUÆSTIO I.

De morbi natura, ac differentia in genere.

SUMMA.

1. Quid morbus? 2. quid circa morbi definitionem porrò notabile? 3. quotuplex ille? 4. quomodo ſubdividatur eſſentialiter ſpectatus? 5. in quo iſte fundamentaliter conſiſtat? 6. quomodo differat rurſus accidentaliter conſideratus?

§. 1.

MOrbus, prouti ſanitati è diametro opponitur, in conceptu ſuo formali dicit *diſpoſitionem, modificationem, aut affectionem partium corporis humani ſolidarum à naturali earundem temperie, conformatione & unione abludentem, per quam illud formaliter conſtituitu*

tuitur in impotentia agendi naturaliter. Hæc definitio & per τὸ formaliter cauſam morbi, utpote quæ corpus vivens in impotentia formaliter agendi aut operandi ſecundùm naturam ceu forma intrinſeca non conſtituit, ſed merè extrinſecè ſe habet, ab ipſo morbo diſtinquunt non ſolûm, ſed etiam ejuſdem effectum in corpus humanum longè meliùs ac clariùs declarat, realis & adæquata magis eſt, quàm alia nominalis tantùm, quæ quidem morbi nomen exponit, non verò rem ipſam ſeu naturam aut effectus explicat, horúmque rationem formalem reddit, cujuſmodi ſunt plures Veterum definitiones, nam licèt Galenus l. de ſympt. diff. c. 1. morbum definiat, quòd ſit diatheſis, id eſt, affectus corporis humani extra: ſeu præter naturam vitiatæ actionis cauſa, aut ſtatus corporis præter naturalis, à quo functio læditur primùm, quales cum noſtra realiter coincidunt, eámque confirmant. Alij tamen ex ejus aſſeclis, cùm Galenica non ex aſſe placeret, aliam ſibi concinârunt, quin imò eandem non expoſuerunt ſolùm, ſed etiam non minùs acerbè quàm acriter impugnârunt. Scimus enim, quanta olim inter Medicos circa morbi definitionem ſtatuminandam contentio fuerit, ita, ut linguas ac calamos ſtrenuè exercuerint, atque pro aris quaſi & focis dimicârint, ſed fructu labori neutiquam correſpondente, quorum conceptus, quia plures ſunt, & regulis exactæ definitioni adeò non conformes ex omni parte, atque pleniùs etiam ex ſuppoſito diſtinctarum facultatum, aut potentiarum procedunt, nec lubet, nec juvat omnes ſingulatim adducere, ac pluribus refutare. Neque illæ etiam, quas RR. formant, definitiones omnes definito clariores ſunt, qualis eſt, quæ dicit, quòd morbus aliud non ſit, quàm ſymptomatum complexio, aut congeries, vel moriendi conatus, quemadmodum non omnem implere paginam videtur, ùt ùt fuſa illa ac prolixa ſatis morbi deſciptio aut circumſcriptio, qua à Stahlii Æmulis morbi idea ſpecialior redditur per hoc, quòd ſit molimen aut conatus naturæ, quo mediante motu cordis, & tonico omne illud, quod corpori moleſtum, ejúſque mixtioni adverſum eſt, corrigere, ſecernere, & per loca convenientia ejicere nititur, quem variæ moleſtiæ modò leviores, modò graviores comitantur, cùm evidens eſſe videatur, omnem naturæ niſum ac conatum ſalutarem exiſtere, adeóque concipi nequeat, quare morbus ſæpiùs ad mortem ac interitum, quàm ad

ſalutem terminetur, vel ſaltem pravam partium ad alios morbos diſpoſitionem poſt ſe relinquat.

§. 2. Circa noſtram morbi definitionem notabile tamen porro eſt 1. per diſpoſitionem &c. hîc non intelligi à nobis tam preſſa ac ſtricta ſignificatione, in qua Ariſtoteles ſumit, qui in prædicamentis eandem ab habitu his verbis diſtinxerit: à diſpoſitione habitus differt, quòd illa facilè dimoveri poſſit, habitus autem diuturnior ſit, ſed paulò laxiori & ità, ut pro omni conſtitutione, diſpoſitione & qualitate ceu ente quodam modale, quæ corpus afficit|diſponit, ac quale reddit, ſive ea facilè à ſubjecto ſuo, ſive cum difficultate removeatur, ùt habitus. eoquòd dentur morbi quàm plurimi habituales dicti, qui vel difficulter, vel omnino nunquam removeri ampliùs poſſunt, uti ſuo locô dicemus. Interim tamen non levis, non tranſitoria ſit oportet illa diſpoſitio, ſed ſtabilis, & quodammodo perſeverans, talis enim non ſufficit ad morbum conſtituendum, neque pro morbo ſtatim haberi debet, cùm neminem mortalium reperire ſit, qui undequaque perfecta ſanitate conſtanter gaudeat propter res illas innumeras, quibus homo ad vitæ conſervationem utitur neceſſariò, quæque eidem facilè nocere, ac ſtatum ejus ſanum turbare variis modis poſſunt, ubi etiam per talem diſpoſitionem ſubinde intelligendi ſint meri defectus ac privationes (in obliquo ſaltem importatæ) ùt patet morbos organicos examinanti v. g. in numero deficiente. Nimirum ùt rectiſſimè habet ſennert. L. 2. Inſt. magic. par. 1. c. 1. *non ſubſtantia, non magnitudo, non numerus, non figura, non reliqua talia vel ſanitas vel morbus ſunt, ſed horum omnium diatheſis* (quam nos diſpoſitionem dicimus) *per quam corpus ad rectè agendum aptum, vel ineptum eſt.* Sic magnitudo linquæ per ſe neque ſanitas, neque morbus eſt, ſed qualis quædam magnitudo, ſive reſultans juxta nos diſpoſitio, quæ ſcilicet ſecundùm vel præter naturam eſt, & ob quam homo ad loquendum diſpoponitur, vel in loquendo impeditur. Adeòque non illud, cum quo fit mutatio, ſed receſſus à ſtatu naturali pro morbo habetur atque omnis morbus in genere diſpoſitionis conſiſtit. Notabile eſt 2. multò minùs poſitivam aliquam qualitatem ex hujuſmodi diſpoſitione reſultantem, in ſenſu Ariſtotelis ac peripateticorum acceptam, atque intemperiei, malæ conformationi, & ſolutæ unitati ſuperadditam, quia etiam ſuppoſito, quòd detur talis entitas, ſuperflua foret, ac per ipſam

intem-

intemperiem v. g. poſitam jam ponatur formalis ratio, cur corpus humanum ſit præter naturam diſpoſitum, & abludens à temperie naturali &c. atque ſic ineptum exiſtat ad naturaliter operandum, conſequenter ipſa talis intemperies, vel vitioſa conformatio, aut ſoluta unitas id ipſum reddat quale ſcilicet intemperatum, malè conformatum, & diſunitum, ut ita ſolo hoc concreto poſito habeatur iam, detúrque corpus morboſum ſeu morbo affectum, adeóque lege contrariorum morbus ſit diſpoſitio corporis noſtri actiones integras primò ac per ſe lædens ſine ulteriori entitate ſupperaddita, quemadmodum ſanitas rectè dicitur diſpoſitio illius easdem eadem ratione perficiens. Notabile eſt 3. ideò ſolius tantùm actionis tanquam ſymptomatis aut effectûs morboſi mentionem fieri, licèt & duo alii morbum comitentur, & ab eo proveniant, quia ea primus eorum ac immediatus eſt, reliqui duo autem, ùt excreta & retenta unácum qualitate mutata, mediatè ſolùm mediantibus nimirum actionibus læſis inſequuntur, ùt clariùs conſtabit ex ſymptomatologia, Notabile eſt 4. in definitione noſtra nomen diſpoſitio, modificatio aut affectio vicem generis haberi, ea tamen acceptione, qua per illam ens quoddam modale in ſenſu Atomiſtico, non autem peripatetico qualitas aliqua abſoluta intelligitur, ubi planè conforme eſt ac maximè conſentaneum, iſta dictione uti, utpote quæ habitui, ùt diximus, etiam ſit communis, cùm ambo morbis conveniant, ac ſpecie non diſtinquantur. Cætera dein in morbi definitione poſita differentiam conſtituunt.

§. 3. Morbus in genere ita acceptus duplex eſt. quatenus nempe vel eſſentialiter, val accidentaliter conſideratur, quemadmodum de ſanitate diximus. Prioris differentiæ ratio ab ipſa morbi eſſentia deſumitur, & in diverſitate partium, quibus omnis morbus eſſentialiter inhæret, fundatur, poſterioris verò in diverſitate accidentium, & connotatorum extriſecorum, vel morbi ſubjectum, vel cauſas reſpicientium fundamentaliter conſiſtit. In cujus utriusque accurata dignotione, cùm non parùm ſit repoſitum integræ & adæquatæ ſcientiæ Pathologiæ tamen eſſentiales, quàm accidentales morborum differentias, atque ſpeciales eorundem denominationes, quas ſubeunt ex utroque capite, prolixiùs declarabimus, de ſingulis ſucceſſivè ſeorſim acturi, quamvis paſſim in libris medicis nominatim apud Senertum in Inſtit: ſuis Medicis, ac Jonſtonum in Syntagm. Med. practic: aliòsque Recentio-

centiores Inſtitutioniſtas, tales fuſiùs deſcriptæ inveniantur, quorum quivis tamen calamum ſuis principijs accomodat, & ex antiquorum fundamentis explicat, quod & nos obſervabimus, & ex Modernorum placitis deducemus, ſed ita, ut ubi diverſæ vel contrariæ Auctorum opiniones occurrerint, magis ſemper de veritate, quàm authoritate ſollicitos nos eſſe oſtendamus ubique, liberi enim ac ingenui animi eſſe ducimus, potiùs veritatem amare, quam Senerto ac Jonſtono, aut Williſio & Sylvio, aliisque quibuscunque demum ſive AA. ſive RR. plùs juſtò adhærere, eósque ſine exacta rei inquiſitione prævia ſectari juxta proverbium. Laudamus Veteres, & noſtris utimur annis.

§. 4. Morbus ita eſſentialiter atque in ſe ſine ullo reſpectu ad aliud quid intrinſecum habito ſpectatus iterum triplex eſt, Quoniam ipſæ partes corporis noſtri viventes, quibus omnis morbùs eſſentialiter ineſt, inter ſe differunt, aliæque ſimilares, aliæ veró organicæ exiſtunt, atque pro harum diverſitate modô tripliciter diverſo affici poſſunt. Quare tot ſunt ac dantur ſumma pariter morborm genera, ad quæ omnes alij, quot quot poſſibiles ſunt, tanquam ſpecies reduci poſſunt ac debent. Juxta hanc igitur tripliciter diverſam rationem morbus alius vel eſt ſimilaris ſeu intemperiei, vel organicus, vel communis ſeu ſolutæ unitatis, quatenus vel ſimilaribus, vel diſſimilaribus atque organicis partibus, vel utrisque ſimul tanquam ſubjecto inſunt & inhærent eo pariter modo, quo ſanitas in ratione oppoſita ac eſſentialiter conſiderata tripliciter dividenda fuit, ſolo hoc diſcrimine intercedente, quòd ad hominem ſimpliciter ac plenariè ſanum conſtituendum requiratur totum complexum in naturali temperie, partium organizatione debita ac decenti unitate conſiſtens, dum econtra ad morbum inducendum defectus notabilis etiam partialis, ſive ſolius temperiei, ſive conformitatis ſive unitatis is fuerit, ſufficit, hinc bonum quod eſt ſanitas, ex integra cauſa, & malum, quod eſt morbus, ex quolibet horum defectu reſultat.

§. 5. Quod jam dictos morbos ex ordine differentiæ eſſentialis ſpeciatim attinet, in eo omnes à parte rei ac fundamentaliter conſiſtunt, quòd in ſimiliari labes aut vitium, quod fluida aut impetum facientia contraxerunt, partibus deinde ſolidis, ac in ſpecie ſimiliaribus ſeu fibris ſimplicibus etiam affricetur, atque ita earum eucraſia ac naturalis con-

conſtitutio pervertatur, ex qua illarum actio ſcilicet nutritio & auctio læditur & impeditur, adeóque morbus, qui dicitur diſtinctè ſimilaris aut intemperiei non ipſis fluidis ſeu humoribus, & impetum facientibus ſeu ſpiritibus, ſed partibus ſimilaribus tantùm harúmque vitio formaliter ac propriè competat, cùm ab illis, illorúmque diſcraſia omnis quidem intemperies tanquam cauſa ac radice proveniat ac producatur, in his verò & harum vitio, ceu vitæ, conſequenter ſanitatis & morbi ſolùm capacibus, ùt de morbi ſubjecto poſtea fuſiùs oſtendemus, unicè ac formaliter conſtituenda ſit. Cùm autem partes ſolidæ vel ſint ſimilares & non organicæ, de quarum morbo modò diximus, vel diſſimilares & organicæ, atque non ſolùm iſtæ ſub priori ratione conſideratæ vitiari poſſint, ſed etiam quoad debitam ſuam organizationem ac conformationem lædi, ſicque ratione hujus ad actiones organicas peragendas ineptæ reddi, ſicque inſtrumenti ratio & ſymmetria earundem infringi morbus evenit alter ſeu organicus dictus. Ubi verò contigerit has ipſas partes ſolidas tam ſimilares quâm diſſimilares etiam in ſua continuitate aut unitate, quod utrisque commune eſt, diſſolvi, tertius oritur, ac vocatur morbus ſolutæ unitatis. Quoniam verò partes diſſimilares æquè ac ſimilares diſunionem aut ſolutionem pati queant, morbus iſte communis etiam nominari conſuevit, utpote quòd & organizatis, & non orgonizatis ſive diſſimilaribus ac ſimilaribus partibus accidere propriè, ac ſupervenire ſoleat. Quemadmodum verò ſecundùm receptas communiter & explicatas differentias eſſentiales præter modò dictas nullam dari aliam extra controverſiam eſt,

§. 6. Eò plures tamen ſunt, quæ ad alteram tamen ſcilicet differentiam accidentalem referuntur, atque non in diverſis ſolùm, ſed etiam in uno, eodémque morbo vario modô ac diſtincto tempore veniunt obſervandæ, & pro diverſitate ac multiplicitate rerum illarum extrinſecarum, ad quas reſpici ſolet ac debet, & juxta quas morbus extrinſecam denominationem aut appellationem ſubit, multipex ſanè evadit, plurimúmque variare ſolet, eô prorſus modô, quo ſanitatem accidentaliter differre diximus Libro priore, ùt ùt latiùs pateant adhuc morborum differentiæ accidentales, quàm ſanitatis, eò quòd plura ſint, vel ſaltem pluris interſit, ut illorum ratio habeatur in ſtatu præter quàm ſecundùm naturam, re ipſa enim ad curationem ritè inſtituendam apprimè utilis ac neceſſaria eſt talium notitia, & ferè magis, quàm ipſarum differenti-

arum eſſentialium. Quoniam ergo non ab ipſa, ùt dictum, morbi eſſentia, vel idea petuntur illæ, ſed accidentibus tantùm ac circumſtantiis morbo extrinſecis, ſcilicet ſubjectum illius, aut cauſas, aliáque cum concomitantibus & reſpicientibus deſumuntur, à quibusdam Inſtitutioniſtis communes, ab aliis etiam ſecundariæ appellantur.

QUÆSTIO II.

De morbi ſubjecto & tempore in genere.

SUMMA.

1. Quodnam ſit ſubjectum morborum? 2. An illud, quod ſtatuimus, contradictionem & diviſionem non admittat? 3. Quid morbi tempus ac quotuplex? 4. Quid ac quot tempora morborum univerſalia? 5. Quid & quot ſint particularia?

§. 1.

EX præcedentibus ſatis jam conſtare arbitror, morbum omnem eſſe diſpoſitionem ſimplicem, atque ita poſitam in genere qualitatum, aut potiùs accidientium juxta nos modalium, quæ cùm per ſe ſubſiſtere nequeat, ſed neceſſariò ſubjectum, in quo recipiatur, ſupponat, ac requirat, hocce aliud quid conſtituere non poteſt, quàm corpus humanum vivens, ídque quoad partes ſolidas tantùm, utpote quæ ſolæ vivere dici poſſunt ùt enim in ſtatu naturali partes iſtæ tanquam viventes tantùm ſanitatis ſubjectum ſtatuuntur, ita & in ſtatu præternaturali in his ipſis ceu ſubjecto recipitur morbus, cùm id ipſum, quod ſanitatis capax eſt, morbo etiam obnoxium ſit, adeóque hujus, ſicut alterius ſubjectum conſtituat, quod dudum docuit ipſe quoque Philoſophus ſtagirita peripati princeps L. de ſenſ. ac ſenſat. c. 1. dicens: *non eſt enim poſſibile ſanitatem aut morbum competere vitâ deſtitutis.* Ubi quod hujus, atque aliorum plerorumque ac potiorum Medicorum authoritate comprobatum habemus, ex ratione pariter evidens eſt nobis, illis duntaxat partibus debere ac poſſe hoc officium tribui, quæ formaliter ac ſenſibiliter pati poſſunt ſolæ viventes, nullæ autem præter

ter ſolidas vivunt, conſequenter ſolæ partes ſolidæ morborum ſunt ſubjectum ſtatuendæ. Qui ex antiquis ac Recentroribus præſertim Modernis, quorum non pauci ſunt, contendunt, dari etiam partium fluidarum morbos, ideò hoc ſtatuunt, quia ex iſtorum ſententia in his duobus (ſpiritibus puta ac humoribus) vita hominis principaliter & maximè conſiſtit, partibus econtra ſolidis impropriè tantùm, & non niſi per denominationem ineſſe dicitur, ſi non â ſanguine primitùs irrorentur, atque à ſtrictibus debitè actuentur & vivificentur, adeóque vivunt; hi & unàcum maſſa ſanguinea actionum vitalium cauſæ principales, exiſtunt, eáſque effectivè perficiunt, partes autem ſolidæ in hoc vitæ exercitio per debitam ſuam conformationem aut ſtructuram tantum ùt inſtrumenta concurrunt purê paſſivè ſe habentia & nulla activitate intrinſeca gaudentia. Sed contra vitam partium fluidarum pugnat vel maximè, quòd operationes vitales non poſſint exercere, cum continuitatem aut unitatem, ad vitam eliciendam unicè requiſitam, non enim nutriuntur, nec moventur ab intrinſeco. neque modô quocunque præternaturali ſentiunt, quem non prius fibrillis nerveis tanquam ſenſationum inſtrumentis imprimant, ergo nulla ratione vivunt, atque ita formaliter pati poſſunt, niſi in tantum vitales dixeris, in quantùm ſunt principium vitale inſtrumentale vel immediatum, quod nobis ſpiritus ſnnt, vel mediatum, quod humores conſtituunt, prout equidem juxta dicta in Phyſiol. libenter concedimus, ſed hoc ipſo facta noſtra concluſio magìs ſtabilitur, quàm evertitur. Ex quibus proin manifeſtum eſt, vitam hominis aut animalis primariò ac immediatè ex partium ſolidarum, quibus tanquam ſubjecto propriè morbus ineſt, temperiei, organizationis, aut unitatis deſtructione, ſecundariò à motu fluidorum machinæ noſtræ præternaturaliter conſtitutorum provenire, ita, ut ad ſubjectum morbi quà tale ſanguis quidem ac ſpiritus referantur etiam, ac pertineant, non tamen quatenus ſe ſolis conſiderentur, ſed quatenus partibus ſolidis appropriati ſunt, & ſub iiſdem implicitè ſaltem continentur, pariformiter ac de partibus ſolidis tanquam ſubjecto ſanitatis in Phyſiologia docuimus.

§. 2. Verùm objiciet forſan aliquis, ſi partes corporis humani ſolidæ in morborum ſubjectum eliguntur, vix ampliùs ſinè inconvenientia dici poterit, illas eorum cauſas etiam exiſtere, quas inter tamen ab omnibus, atque nobis ipſis referuntur & numerantur, ùt hoc loco dicetur, at verò quiſquis hoc ſcrupulo angeris, omnis mox tibi ce-

det, ſi rationem, ſub qua hîc morbo ùt ſubjectum inſerviunt, & alib cauſarum ejus naturam induunt, aut vices ſuſtinent, ſatiùs examinaveris atque utriuſque diſcrimen ritè notaveris. Diverſus reſpectus quem ſubeunt tollit omne contradictionis periculum, poteſt enim res eadem ſub hoc modo hujus, & ſub alio jam alterius vices gerere, prouti alibi diximus, atque iterum dicemus, de debita intemperiei tanquam morbi à qualitatibus corporis externis ceu ejuſdem effectu diſtinctione, ubi de ſymptomatis in parte hujus tertia ſermo inciderit.

Quapropter eô modô, quô ſanitatis ſubjectum voluimus eſſe corpus humanum quoad partes ejus ſolidas ac viventes ſeu animatas tantùm, hîc volumus idem conſtituere morbi ſubjectum. Quod tamen, ſi quis vellet cum quibuſdam diſtinquere, atque ita illud, ubi, aut in quo morbus & motu & effectu potiſſimum ac ſpecialiter ſe ſe exerit, vel prodit, ſubjectum inhæſionis, alterùm verò, undè nimirum morbus aliquis ſcaturiginem aut originem ſuam ducit, ſubjectum radicationis ſeu cauſæ vel fomitis morboſi, aut etiam originis appellare, prout appellant, ac diſtinquendum putant nonnulli in Epilepſia, quam pro exemplo afferunt, in qua ſubjectum, inhæſionis ipſis caput eſt, unàcum ſyſtemate nervoſo, radicationis econtra vel uterus, vel hypochondria propter humores aut ſuccos pravos ibidem congeſtos ac ſtabulantes, à quo vel quibùs dein reliquis partibus minera aut fomes morboſus ſubmittitur ac communicatur, is certè parùm accuratus eſt in hac diviſione reddenda, cùm tali ratione fomitis morboſi locus aut focus minùs ſtrictè, quam nos hîc ſaltem ſumimus, atque etiam ſumendam contendimus, & impropriè pro ſubjecto accipiatur, in rigore namque ac ſenſu proprio ſubjectum morbi vocatur, in quo ille verè recipitur, inhæret ac ſubjectatur, non autem, ubi cauſa hujus antecedens tantùm nidulatur.

§. 3. Cùm itaque non ſolùm ſuum ſubjectum ſupponant morbi, ſed & ſua tempora percurrant, dum durant, ea vel maximè tum ratione prognoſeos, tum criſis, tum etiam curationis ergò benè cognita habere, atque obſervare oportet Medicum, præſertim in morbis acutis, ac febrium intermittentum paroxyſmis. Hinc doctrinam de iis non ineptè poſt morbos in genere explicatos à nobis mox ſubjungi exiſtimamus, ad diſtinctionem eorum, ac differentiam accidentalem, quam ratione temporis aut durationis ſuæ patiuntur, & admittunt, eò meliùs dignoſcendam. Eſt verò morbi tempus in genere intervallum ſeu

ſpatir

ſpatium illud, quo durat, & notabilis ejuſdem mutatio obſervatur. Et duplex eſt, univerſale nimirum, & particulare, prius ſtatuitur ſpatium ſive intervallum temporis in morbo aliquo à prima invaſione ad finem uſque ſpectato extenſum, poſterius autem intervallum dicitur, quo unicus conſtat paroxyſmus. Solet inſuper in aſſumendis, ac adhibendis, in morbis remediis certum tempus attendi & obſervari, ùt ratio ſuadet, ac praxis jubet, de hoc verò modo tractare non eſt hujus loci.

§. 4. In ſpecie quatuor ſunt univerſalia morborum tempora, ùt principium, augmentum, ſtatus ſeu vigor, & declinatio prout refert Gal. Libr. de morborum temporibus, ac Inſtitutioniſtæ paſſim docent. Principium hîc latè ſumitur, & à Medicis habetur pro eo temporis ſpatio in morbo quodam, in quo materia peccans ac peregrina in corpore ſenſim vitiosè collecta ac cumulata, ſive in primis adhuc viis hærens, ſive aliò jam translata humores ac ſpiritus turbat, quare in ventriculo, inteſtinis, meſenterio, vaſisque aliis actiones læduntur, atque jam frigus, jam rigor, jam etiam horror ſentitur, cùm verò portiones materiæ illius peccantis jam magìs ſui juris factæ, & aliqualiter reſolutæ, ſuccos ſibi contrarios agitando turgeſcentiam quandam concitant, quam dein in toto corpore calor præternaturalis, aut dolores in dictis partibus majores quàm priores, aliáque plurima ac graviora ſymptomata excipiunt. Unde patet, per principium morbi non intelligi hîc indiviſibile ac momentaneum quaſi temporis punctum, quo homo incipit ægrotare, ſed latiùs & quidem quod aliquot horarum, quandoque & dierum ſpatio pro morbi nempe brevioris vel longioris conditione determinatur. Augmentum deinde, ſeu quod idem eſt ac aſſcenſus vel incrementum morbi juxta Gal. L. 1. de Criſ. c. 3. dicitur, quando diſpoſitio præternaturalis magìs magìſque ſe ſe exerit per ſymptomata interiora ac frequentiora, & id ſpecialiter in febribus quando calor febrilis unàcum aliis ſymptomatis ingraveſcit juxta eundem L. 2. de diff. febr. c. 11. vel ut Williſ. de febribus. c. 11. loquitur: *ſi ſanguis nimis efferveſcit cum pulſu forti & vehementi, ſi vigiliæ, phrenitis, aut dolor capitis immaniter urgeant.* Status autem ſeu vigor eſt, in quo morbus ſummum habet impetum, cauſáque eorum viget, unde ſymptomata præſentia omnia ſunt vehementiſſima, atque in eodem tenore aliquamdiu perſiſtunt, dum interim naturam inter, ac morbi vehementiam maxima, eáque decretoria pugna intercedit, ubi omnia periculo plena ſunt, ac

 dubia.

dubia, adeò quidem, ut pro hoc tempore victoria in partem alterutram neceſſariò inclinet, quare etiam coctionis vel corruptionis ſigna pro tunc manifeſtè jam apparent. Declinatio demum appellatur, quando facta criſi vel lyſi morbus à natura ſuperatus decreſcere & ſymptomata à priori vehementia remittere, atque evaneſcere incipiunt, ubi etiam ceſſat periculum teſte rurſus Gal. L. 3, de Criſ. c. 5. & æger ſibi magis reſtituitur, ipſáque materia morbifica cocta per loca conferentia expelli obſervatur. Ubi autem benè notandum 1. quòd ſi contigerit ægrum in declinatione adhuc mori, factum id eſſe vel ob errores ipſius indiæta aut Medici in cura commiſſos, vel etiam ob morbi veteris, & victi in novum rurſus, eúmque graviorem mutationem, cùm morbus propriè declinare dicatur tantùm, quando ſalutaris exiſtit, atque ad ſalutem tendit. 2. hæc quatuor univerſalia morborum tempora, quæ in febribus continuis potiſſimum attendenda ſunt, non ab omnibus neceſſariò ac ſemper percurri, niſi ſalutares extiterint, utpe quibus ſolis juxta dicta id proprium eſt, cùm ſatis conſtet, plures ex iis ope Medica & Medicorum induſtria à naturæ viribus vel in principio ſtatim, vel in augmento adhuc ſuffocari. 3. in lethalibus ſi quisquam mortuus fuerit, morte ejus plerúmque in ſtatu ſeu vigore incidiſſe.

§. 5. Particularia econtra, quæ vocamus morborum tempora, communiter quidem numero quinque ſunt, principium nempe paroxyſmi, augmentum ejuſdem, declinatio, ac tempus apyrexiæ, quæ ſicuti priora in continuis, ità hæc ſpeciatim in intermittentibus febribus attentionem merentur. Ut tamen verum fatear, meritò dubitari poteſt, an apyrexia propriè ad paroxiſmum ſpectet, atque huc inter morbi tempora particularia referri debeat, cùm ex ſua natura dicatur & ſit febris intermiſſio ac ceſſatio diebus ſcilicet intercalaribus, poſtquam omnis in præcedente paroxiſmo materia febrilis aut fermentum ejus difflatum ac deſpumatum eſt, uſque dum nova ad plenitudinem congeratur, paroxyſmus verò definiatur, quòd ſit actus morbi repetitus, aut nova febris invaſio, vel acceſſio, vel exacerbatio, quæ utique ad morbum pertinet, ejúſque tempus involvit, quæ cauſa morbifica validiſſimè movetur, ac per ſymptomata conſueta, & quidem periodicè, ut in febribus intermittentibus propriè, vel etiam continuis remittentibus, & ad priorum indolem ſe ſe moventibus recurrit, ubi,

licèt

licèt plerúmque periodi ſint ſtatæ ac ordinatæ certo die vel etiam horâ inſultum repetentes, dantur tamen & obſervantur etiam vagæ nonnunquam ac erraticæ modô prorſus contrario incidentes, uti videre eſt in epilepſia, arthritide & aliis morbis. Quemadmodum igitur paroxyſmus morbis tantùm intermittentibus competit, ita etiam periodus iis propria exiſtit, quatenus in conſideratione Pathologica nil aliud eſt, quàm morborum quorundam certa vel incerta intervalla habentium circuitus, & veluti circulus, cùm ex iiſdem ad eadem per eundem ordinem ferantur, ùt deſcribit ſæpiùs laudatus Anteſignanus noſter Galen. c. 1. aphoriſm. 12. & L. de morb. temp. qui proin, ùt ipſe alibi etiam docet, cùm tempus ſit ex intenſione ac remiſſione conſtans, adeòque in exacerbationem & remiſſionem dividendus veniat, ſub ſe etiam apyrexiam complectitur, & non ipſe paroxyſmus.

SECTIO II.

De morbo, ejúſque differentiis eſſentialibus in genere.

QUid nomine temperiei aut ſanitatis ſimilaris, reliquarúmque duarum ſpecierum intelligatur, & in quo illæ poſitivè conſiſtant, ac qualiter differant eſſentialiter, ſufficienter conſtat ex L. 1. quid jam attenta oppoſitorum ac contrariorum ratione morbus iſte ſit, aut potiùs qualis, qui ſimilaris dicitur, vel organicus, aut communis, reſtat modò uberiùs explicandum, ubi in differentias horum eſſentiales ſpecialiter indagabimus, ac quod de iis ſcitu reliquum eſt, explanabimus juxta ſpecies ſuprà de morbi diviſione in genere adductas, ac communiter receptas, à quorum ordine & numero citra gravem ac urgentem rationem recedendum non eſt. Et licèt ii, qui vel ex antiquis, vel Modernis vitam attribuunt humoribus, adeóque intemperiei morbos non tantùm ſolidis, & in ſpecie ſimilaribus, ſed etiam ipſis fluidis adſtruunt, quoad primam differentiam eſſentialem non ſimilarem, ſed intemperiei morbum appellandum exiſtiment, quod falsò ſupponunt, ùt ſuprà de morbi ſubjecto abunde oſtendimus, nihilominùs quoad numerum ſaltem differentiarum eſſentialium nobiſcum etiam conveniunt,

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De Morbo ſimilari ſeu intemperiei in ſpecie.

SUMMA.

1. Quid morbus ſimilaris ſeu intemperiei? 2. Quid intemperies elementalis, & quid vitalis? 3. Quæ harum diviſio generalis? 4. An intemperies occulta AA. locum amplius habeat in Modernorum Medicinæ principiis? 5. Quis RR. ac nobis ſenſus de nuda antiquitus ſic dicta intemperie? 6. Quid calida, frigida, humida, & ſicca ſpeciatim?

§. 1.

MOrbus intemperiei ſeu ſimilaris dictus *eſt diſpoſitio, modificatio, aut affectio partium corporis humani ſimilarium quà talium præternaturalis; per quam illæ formaliter conſtituuntur in impotentia ſecundum naturam operandi ſimilariter*, ſeu talis, quæ actionis ſimilaris (nutritionis nempe & auctionis) vitiatæ per ſe ac immediata cauſa exiſtit, ab elementorum corpuſcularium partes fluidas conſtituentium, atque in proprietatibus mechanicis & qualitatibus ſenſibilibus turbatarum aut improportionatarum, id eſt, humorum ac ſpirituum immoderatione dependens. Concludimus itaque ex his, & priùs dictis tunc propriè dicendum eſſe morbum ſimilarem, quando ex ſanguinis, aliorúmque humorum ac ſpirituum vitio partes ſimilares quà tales, atque in ratione ſimilaritatis conſideratæ quoquo modô afficiuntur, & in dictis actionibus ſuis læduntur, ut ita in tantùm tali vocandus ſit in quantùm partes ſolidæ quà ſimilares ſubjectum conſtituunt qualitatum ſenſibilium præternaturalium vel potiùs modorum materiæ dictis partibus impreſſorum, atque ita intemperatæ v. g. calidæ, frigidæ, humidæ aut ſiccæ nimiùm evadunt, ſicque formaliter ineptæ redduntur ad naturaliter operandum. Contraria eſt hæc concluſio illis etiam RR. qui admittunt morbos ſimilares partibus ſimularibus quà talibus ſeu fibrilis ultimis per ſe inorganicis, elementaliter ac materialiter ſpectatis proprios in ſolius toni vitio, eóque vel laxo, vel tenſo nimiùm conſiſtere formaliter, dictas autem qualitates ſimplices, caliditatem ſcilicet, frigi-

frigiditatem, humiditatem, ſiccitatem, aut quæ ſunt aliæ magis compoſitæ, vel ſecundariæ antiquitùs dictæ, quatenus partes ſimilares in ſpecie afficiunt, earumque actiones turbant ac impediunt, ad ſymptomata potiùs qualitatis mutatæ, & morbos ſimilares in tono vitioſo, aut organicos in ſpecie læſa revocandas eſſe, quod tamen eô minùs ſuſtineri poteſt, quô magis ex dictis ac aliunde conſtat, illa duo priùs pro morbi ſimilaris ſpeciebus aſſignata toni vitia ad ſymptomata actionis læſæ, & quidem ab omnibus Veteribus, ipsóque Galeno, ac tota ſchola medica ad motum vitiatum rectiſſimè referri, ùt in ſymptomatologia ſuo locô pluribus dicemus, ùt ùt ab illis non iisdem, queîs à RR. fieri ſolet, nominibus exprimantur, ſi enim fibræ quà relaxatæ aut tenſæ nimiùm conſiderantur, non ſimplices ampliùs quà tales, atque independenter ab organizatione concipiuntur, cùm ſub hac ratione ac formalitate partes jam organicas, puta nervos, tunicas, muſculos aut alias ſimiles involvant, quin imò ipſæ quoque partes ſimilares, quatenus certô modô conformatæ ſunt, ut ope hujus conformationis peculiarem uſum præbeant, re vera organi rationem habent, quatenus verò ſimilares ſunt, & in ratione ſimilaritatis conſiderantur, prout hîc etiam conſiderari debent, nullam peculiarem compoſitionem, figuram, conformationem &c. requirunt, aut admittunt. Quod demum ipſas etiam qualitates attinet, eæ pariter hîc ſub alia ratione ſunt conſiderandæ, quàm in ratione ſymptomatum, cujus reſpectus diverſus ſufficientem inter illas ùt morbum intemperiei, & ùt ſymptoma qualitatis mutatæ diverſitatem inducit, ùt rurſus in ſymptomatologia prolixiùs docebimus.

§. 2. Miſſis jam Galenicorum ex ſuppoſito qualitatum abſolutarum præcedentibus diviſionibus aliis intemperiei ſeu morbus ſimilaris ex Modernorum principiis pro uſu Medico veriùs ac utiliùs in elementalem & vitalem dividitur, quemadmodum in phyſiologia temperamentum diviſum eſt. Illa ſcilicet intemperies elementalis eſt particularum corporis humani viventis materialium minimarum, ac elementarium partes ſimilares conſtituentium contextus aut nexus vel in ſe, atque à prima generatione vitioſus, vel à nutrimento, aut intemperatis humoribus ac ſpiritibus ſucceſſivè in ſua craſi naturali immutatus, quò fit, quòd actiones iſtarum, cùm illæ particulæ non ritè

 impel-

impellentur, ſeu actuentur immediatè quidem, ac ſenſibiliter, lentè tamen vitientur. Altera dein ſeu vitalis intemperies, quæ etiam majoris conſiderationis eſt, in Medicina dicitur vitium à ſanguine aut lympha horúmque textura, modificatione, motu aut impulſu tum circulari tum inteſtino vitioſo, vel quoad partes impellentes plus minus vitiatas, partibus ſolidis, & in ſpecie ſimilaribus velociter illatum, eorúmque modificationem, texturam, aut craſin cum vehementia & velocitate majore vel minore inducens, & ſic immediatè ac per ſe actiones lædens. Satis proinde colligitur ex noſtra ſententia intemperiei morbos, ſive dein à plethora, ſive à cacochymia, ſive etiam à motu ſanguinis ac reliquorum humorum vitioſo ſive ſpirituum ipſorum ataxia partium ſimilarium eucraſia, ac conſtitutio naturalis pervertatur, conſiſtere quidem in intemperie qualitativa, ſed modali tantùm ac reſpectiva à ſubſtantifica ſic dicta realiter indiſtincta.

§. 3. Utraque harum tam elementalis quàm vitalis ſubdividitur rurſus in ſimplicem ac compoſitam. Prior eſt, in qua elementum unum, aut una qualitas tres præter naturam ſuperat, uti quando caliditas excedit frigiditatem, atque duas reliquas, vel frigiditas caliditatem. Poſterior autem datur, ubi duo ſimul elementa, vel qualitates ſuperant, & vincunt præter naturam cæteras. Simplex deinde & quidem elementalis ulterius ac 1. ratione elementorum ſeu particularum ac minutiarum in reſolutione corporum & mixtorum ultimò ſenſibilium, & ad ſenſum homogenearum quadruplex eſt, atque reſpectu horum dominii in intemperiem ſalinam, ſulphuream, aqueam & terream diſcriminatur, in quantum nempe modò hæ, modò illæ moleculæ v. g. ſalinæ acutæ pungentes, & aculeatæ, vel volatiles oleoſæ ſulphureæ utpote portiones corporis noſtri præ reliquis activiores magìs exuperant, atque ſui juris factæ aqueas limoſas aut terreas particulas tanquam paſſivas magìs vel minùs ſimul excedentes, atque victas jam magìs jam minus temperantes acuunt, atque ita debitam ac naturalem miſcellam evertunt. Ex his ſalina rurſus vel in acidam, ſub qua & auſtrea, & pontica & hujusmodi varia pro variis ſpeciebus cacochymiarum, ùt videbimus easdem inducentium, vel in alcalinam vel ſalſam denuò faceſſit. Vitalis autem, quàm præcipuè & magìs attende-

attendere juvat, reſpectu principiorum vitalium, horúmque ſtatûs magis ſenſibilis pariter quadruplex eſt, & in calidam, frigidam, humidam & ſiccam diſpeſcitur. Quæ compoſita dicitur, cùm ejus combinatio modo quadruplici ſolùm poſſibilis ſit, ideò & iſta quadruplex exiſtit, adeóque in calido-ſiccam, calido-humidam, frigido-ſiccam, & frigido-humidam tandem abit, atque unicè ferè in conſiderationem venit. Quæ aliæ ſunt accidentales intemperierum differentiæ, & à ſubjecto peti ſolent, quæque attentionem merentur, faciliùs intelliguntur. Sic alia eſt æqualis, inæqualis alia, quarum illa datur, cùm omnes partes viventes quoad ſenſibiles qualitates aut modos potiùs, ſimiliter afficiuntur, uti fit in cachexia univerſali, & hectica, hæc autem, quando partes aliæ magis, aliæ minùs alterantur, ùt in febribus contingit. Alia demum eſt in habitu, alia in habitudine ſeu diſpoſitione, prior dicitur, quæ ſubjecto ſeu parti viventi ita firmiter inhæret, ut ſit indelebilis, qualis notatur in omni febre hectica confirmata, aut elephantiaſi. Poſterior aliter ſe habet, & particulis ſuprà adſtructis, earúmque vitiata textura, motu ac impulſu exterminatis, atque in craſin debitam ac naturalem reductis faciliùs reducitur atque exterminatur.

§. 4. Unde conſequitur & illud, Antiquorum diviſionem intemperiei in *occultam & manifeſtam* nullam eſſe, iſti enim, cùm non poſſent venenorum ac venenatorum morborum febrium præſertim malignarum effectus ac phœnomena manifeſtis quibusdam qualitatibus, ùt arbitrabantur, in ſolidum adſcribere, ſed cauſis non ſufficienter cognitis à poſteriori illas tantùm deducerent, in iis explicandis ad tales occultas confugerunt, morbóſque ab iſtis inductos totius ſubſtantiæ appellârunt. Qua ratione ignotum explicârunt per ignotius, quoniam & iſtæ qualitates occultæ ſunt cauſæ ignoratæ, per quas facta explicatio nil eſt, niſi meriſſima rei neſcientia. Inficiari equidem non poſſumus & nos cum RR. magis etiamnum intricatum videri, quàm ut plenè ſtatim circumſcribi aut definiri queat, in quonam ratio conſiſtat formalis dictarum febrium ac aliorum etiam venenorum, horúmque virulentiæ ac malignitatis gradus, non tamen defuit ampliùs modus, íſque valdè exploratus hodiè, quo omnia prorſus phœnomena, quæ in his aut ſimilibus occurrunt morbis non minùs ſenſi-

bilia & captu facilia eſſe, quàm alia qualitatibus illorum manifeſtis adſcripta. Neque eorum agendi ratio minùs defacto cognita eſt ac perſpecta Modernis, quàm allatarum ſuprà intemperiei manifeſtæ ſpecierum, ut adeò ad easdem commodè referri atque re ipſa non aliter ac reliquæ hucusque explicatæ poſſint, ac debeant explicari per majorem nempe corruptionis gradum, vel in nimia ſubitaque ſanguinis ac ſpirituum coagulatione, vel conſimili iſtorum diſſolutione conſiſtentem, quod eruitur. 1. Ex venenorum defacto cognitorum omnium natura, utpote quæ (monſtrante id examine eorum chymico) vires ſuas exerunt, atque effectus tales edunt ratione ſalium vel nimis acrium ac corroſivorum in ſubitanea & exceſſiva diſſolutione aut fuſione, vel à contrario particularum congelantium, ac inſpiſſantium prompta nimis atque exorbitante partium fluidarum omnium coagulatione, adeòque earum mixturæ turbatione, vel denique ipſarum etiam ſolidarum corroſione, quod inſuper quædam ex Anatomia per infuſoriam tentata experimenta comprobant, & noſtræ aſſertionis veritatem confirmant. 2. Ratio nobis quoque eſt, quòd talis explicatio utilem ſaltem in medendi methodo indicationem ſuggerat, quod non facit occulta qualitas, quæ vel ob id à Medico prudenti rejicienda eſt, quid enim morbus totius ſubſtantiæ aut occultæ qualitatis Galenicis aliud eſt? quàm ille, quem curare quidem intendimus, ſed quid propriè ſit, & in quo ejus cauſa vel ratio formalis conſiſtat, planè ignoramus. Occultarum itaque qualitatum morbos aut quosvis malignos dictos à præcedentibus intemperiebus non plùs quàm ſecundùm majorem vel minorem quoad craſin aut impulſum corruptionis partibus ſimilaribus inductæ gradum differre nobis ratum eſt, hoc ſpecialiter requiſito inſuper addito, ut quid venenatam naturam, aut venenoſitatis vel malignitatis characterem induat, in quantitate ſeu mole minima activitatis velociſſimæ ac maximæ ſit oportet, de quo plura inter accidentales morborum differentias, ubi de morbis malignis ac contagioſis.

§. 5. Deducitur 2. non dari intemperiem nudam, ſive ſine materia, prout ea à Galenicis accipitur, ac pro illa habetur, quæ ſine ullo affluxu ſubſtantiæ vitioſæ exoritur, ſola qualitatum alteratione noxam inferens. Quemadmodum enim temperatura noſtra vitalis

omnis

omnis indiſpenſabiliter ac neceſſariò ab humorum & ſpirituum influxu dependet & motu, ùt ſcimus ex iis, quæ in Phyſiologia de temperie diximus, ita etiam intemperies quævis iis unicè debetur, atque ab eorum perverſa textura & impulſu fovetur aut ſuſcitatur, ídque maximè, cùm in noſtris principiis philoſophicis corpuſcularibus, intemperies qualitativa à ſubſtantiva tanquam modus à ſuo modificato etiam ſupernaturaliter non ſit ſeparabilis, ſed eandem ſemper & neceſſariò comitetur. Deinde elementaris partium ſolidarum temperies tam facilè non alteratur, ac p. n. afficitur, ſi gangræna excipiatur cum ſphacelo, in quibus ſimul, uti non rarò contingit, vitium quoddam in intemperie vitali præexiſtere ſolet ac debet, ut ita exempla, quæ Antiqui in ſuam ſententiam proferunt, nihil probent, quod maraſmus vulgò intemperies ſine materia iis dicta clarè oſtendit, qui ex natura ſua dicit corporis extenuationem & exſiccationem ob portionum ſalinarum exuperantiam à ſucco nutritio magìs magìsque vitioſo ſucceſſivè illatam, conſequenter morbum intemperiei & quidem cum materia. Quòd ſi tamen (licèt id perperam fiat) hanc nudæ intemperiei acceptionem in aliquo, & quidem eo ſenſu retinere, ac noſtris principiis adaptare etiam placuerit, dici debet, non ideò illam ſub hac ratione intelligi, quòd planè materia careat, aut non ſit à ſanguine, ſed quòd portionibus ſuis materialibus & fixioribus ſeu paſſivis non unà ſimul afficiat, ſed activis, atque in motu continuo conſtitutis tantùm ſeu illis, quæ ſanguinem formaliter conſtituunt, uti ſunt ſpirituoſæ, ac magis volatiles portiones, quæ, cùm diu in uno loco conſiſtere nequeant, nunquam fixam aut longiorem, ſed breviorem tantùm, & vagabundam, & ſic quaſi immaterialem temperiem inducere valent, uti fieri exiſtimant in cephalalgia ab æſtu ſolis aut calore cubiculi contracta, vel ſumma capitis refrigeratione ab aqua gelida vel aëre gelidiſſimo inducta, cùm & in his caſibus nunquam deſit ſua materia, particulæ ſcilicet intemperatis qualitatibus, aut frigidis, aut calidis præditæ ac capiti communicatæ, vel applicatæ, quæ poſtea, iſtam intemperiem in eodem producant, foveántque.

§. 6. Nomine autem intemperi calidæ nobis ex mente Modernorum venit illa propriè, quando à particulis corporis noſtri fluidis, id eſt humoribus ac ſpiritibus, horúmque particulis conſtitutivis,

quæ ùt plurimùm ſaltem ſi non ſemper de natura alcalina, aut indole ſulphurea participant, ac præter modum mobiles & volatiles exiſtunt, in motum pariter plùs minùs vehementem ac rapidum concitatis, idem vitium partibus ſolidis ac ſimilaribus imprimitur, eæque præter naturam calidæ evadunt. Intemperies frigida audit, cùm econtra particulæ plùs juſtò fixæ, acidæ ac auſteræ ob excedentem ſuam irregularitatem tum inteſtino tum progreſſivo motu deficiunt, hinc partes ſolidas, earúmque fibrillas minùs impellunt, atque adeò vitium hocce aut intemperiem quoad calorem ad ſenſum præter naturam deficientem iisdem ſimul affricant, & frigidas reddunt. Humida vocatur ea dein intemperiei ſpecies, in qua particulæ aqueæ ac inſipidæ in ſanguine ac lympha prædominantes atque exuperantes partibus ſolidis nimiam lubricitatem inducant. Sicca demum eſt, ubi terreſtres ac rigidiores portiones in maſſa humorali p. n. excedentes dictis partibus ſiccitatem ac frigiditatem actiones earum ſimilares ſenſibiliter lædentem inferunt, atque debitam humiditatem aufferunt vel obtundunt. Ubi quod de his in ſenſu diviſo diximus, de iis in compoſito quoque intelligendum eſſe quivis videt, qui modò dicta ſatis penetraverit.

QUÆSTIO II.

De morbo organico in ſpecie.

SUMMA.

1. *Quid morbus organicus, & unde deſumatur?* 2. *Quotuplex ille, & quid ad dignoſcendas varias ſpecies maximè obſervandum?* 3. *Quotuplex morbus malæ conformationis ſpecialiter ſic dictus, & quid iſte in figura?* 4. *Quid ac quotuplex morbus in via?* 5. *Quotuplex in ſuperficie læſa ceu tertia ſpecie malæ conformationis?* 6. *Quid & quotuplex morbus ſecundùm generaliorem diviſionem in numero?* 7. *Quid ac quotuplex in magnitudine?* 8. *Quid & quotuplex tandem in ſitu ſeu locatione & conjunctione, connexione aut compoſitione?*

§. 1.

ETſi poſteriora Galenicorum de morbo intemperiei dogmata quæſtione præcedente rejecerimus, iis tamen, quæ circa morbi organici

ganici notionem ſtatuunt, eò firmiùs circa pleraque inhæremus, ac preſſiùs inſiſtimus, communi deſcriptione eundem definientes, *quòd ſit organizatio corporis humani & partium ejus ſolidarum præternaturalis. adeòque univerſali morbi definitioni conformiter mala in compoſitione conſtitutio actiones organicas ſenſibiliter, primò, ac per ſe lædens, ſeu modificatio talis, per quam corpus organicum in impotentia naturaliter agendi, formaliter conſtituitur.* Probè igitur notandum eſt circa hanc differentiam & morbum ſic dictum organicum in ſpecie,, eum in ordine ad diviſionem partium in ſimilares ac organicas factam ita dici, atque reſpectu ad ſoliditatem illarum materialem, maximè verò ac principaliter ſtructuram mechanicam, & organizationem in ſenſus incurrentem, ſecundùm quas organa materialia ac formata conſtituunt, à nobis hîc ſolummodò conſiderari, ſicut enim intemperies partium tantùm ſimilarium quà talium morbi ſunt, ac dicuntur propriè, ita etiam organici propter organizationem, ac diſſimilarium quà talium vitium, indéque ſequentem actionis læſionem tales vocantur, ita quidem, ut ſub hac ratione tantùm organica, & non alia qualicunque demum conſideratione veniant, modò prorſus contrario, quæ naturalem organizationem, tanquam ſanitatis ſpeciem eſſentialem in phyſiologicis attendendam propoſuimus. Hinc ut doctrina horum itidem morborum perſpicuè tractetur, atque omnis eorum, ideæ cum modis generationis ſeu cauſis, vel ipſis etiam effectibus ac ſymptomatis confuſio eò faciliùs evitetur, ſuîs, ubi opus videbitur, diſtinctas ſpecies exemplîs dilucidabimus, ita tamen limitando, ne præfixos nobis cancellos tranſiliamus, & generaliorum locò dogmatum, quæ tradere ſcopus noſter eſt, particularibus nimiùm indulgeamus.

§. 2. Quare cùm organi & partis præcipuè diſſimilaris compoſitio non una ſit, ſed diverſa, ita etiam diverſi pro ejus ratione morbi organici oriuntur. Eminet autem hæc præternaturalis organizatio ſub quadruplici differentia, atque 1. vel in mala conformatione ſpecialiter ſic dicta, vel 2. in magnitutine, vel 3. in numero, vel 4. demum in locatione ſeu ſitu aut conjunctione partium corporis noſtri præternaturali conſiſtit, quando nempe aut debita conformatio p. n. immutatur, aut juxta partium organicarum magnitudo non obſervatur, aut debitus partium numerus deſideratur, aut denique earundem ſitus pervertitur, aut connexio. Ubi vides, ſi promiſcuè fortè accipiatur morbus

bus organicus pro morbo malæ conformationis, id minùs rectè fieri, cùm ille latius pateat, & omnis quidem morbus malæ conformationis organicus ſit, non verò omnis organicus dici poſſit malæ conformtaionis, uti dictum eſt. Fundamentum factæ prius morbi organici diviſionis petitur 1. ex communi doctorum tam Antiquorum quàm Modernorum conſenſu. 2. ex oppoſitorum ratione, quemadmodum enim organizatio naturalis in Phyſiologia quatuor modis abſolvitur, atque totidem ſanitatis organicæ ſpecies complectitur, ita etiam hoc loco ex illius vitio, aut compoſitione vitioſa quatuor morborum ſpecies reſultant. Probatur 3. ex eo inſuper, quòd omnia prorſus organica vitia ſub hac quadruplici claſſe comprehendantur, nullúſque ſit poſſibilis organicus morbus, qui non poſſit ad aliquem ex modò dictis commodè reduci. Non poſſunt autem iſti omnes certius ab invicem dignoſci, quàm ex actionum læſione, ita quidem, ut, licèt morbus talis ad plures eorum ſpecies referri, reducíque poſſe videatur, ad illam tamen principaliter referendus ſit, propter quam actio læſa ſequitur, ùt patet in exemplo. Sic hernia v. g. inteſtinalis ad auctam ſimul magnitudinem, vel etiam conformationis vitium reduci poſſet, rectius tamen ac propriè ad morbos in ſitu referri debet, eò quòd actionum læſio ab inteſtinorum loco p. n. mutato maximè dependeat, quod unum adduxiſſe ſufficiat ad aliorum inſuper morborum, in quibus res eodem modô comparata eſt, ſpecies ritè attendatur, quod etiam haud raro facili negotiô obtinetur, modò ad eam diſpoſitionem p. n. à qua actionum læſio immediatè fluit, quæque primaria ac principalis harum cauſa exiſtit, quam cautelam pro regula univerſali hîc ſubjungere neceſſarium duximus.

§. 3. Prima morbi organici ſpecies ſcilicet morbus malæ conformationis ſpecialiter ſic dictæ rurſus triplex eſt, & ſubdividitur in morbum *in figura*, *in via aut meatu*, *& in ſuperficie*; fundamentum enim generale vitioſæ conformationis eſt ſtatus naturalis, & ad naturalem partium organicarum conformationem, quæ ceu recta norma eſt obliquæ, requiruntur figura, via ſeu meatus, & ſuperficies legitima, igitur ſi ab his receſſus fiat, totidem modis eum fieri neceſſe eſt, morbúmque malæ conformationis pariter vel in figura, vel in via aut meatu, vel etiam in ſuperficie mala conſiſtere. Morbus in *figura* eſt parti-

partium materialis ac ſenſibilis figura aut forma vitiata, organicam figuræ partis competentem actionem primò ac per ſe lædens, & eſt multiplex pro multifario figurarum poſſibilium vitio non ita facilè determinabili, quod tamen eſt vel conatum, vel adventitium, quorum prius aut in ipſo matris utero in prima fœtus formatione accidit, aut in partu ex difficultate ejus vel errore obſtetricis, quando nempe membrum aliquod vehementiùs comprimitur, aut diſtorquetur, primùm ſupervenit. Poſterius ſive adventitium eſt, quod jam natis & adultis ex variis cauſis contingentibus accerſitur. Et licèt ad morbum in figura pertineant ſpecialiter figuræ ſeu formæ externæ etiam vitia, ut ita figuræ morbo teneantur ii præſertim, quibus crura introrſum vel extrorſum contorta ſunt latinis valgi & vari dictis, unàcum illis, qui planas pedum plantas habent, & planci vocantur, plauti vel ploti, quorſum etiam gibboſitas, & ſimitas ſeu ſima naſi forma & caput vel rotundum, vel oblongum nimis referuntur, hujus tamen claſſis ſunt etiam interna, per quæ & actio organo cuidam ratione figuræ competens ac debita vitiatur.

§. 4. Secunda ſpecies malæ conformationis ſeu morbus in via aut meatu *dicitur partium organicarum cavitas vel meatus p. n. affectus, & conſtitutus*, iſque communiter duplex eſt, quatenus vitium hocce vel in via p. n. dilatata, vel anguſtata conſiſtit, quibus rectè additur tertium, vitium, nempe meatuum multitudo vel defectus, quando venæ, arteriæ ventriculi, veſicæ &c. ampliores aut anguſtiores evadunt, vel etiam omnino deſunt. Primi generis quatuor numerantur, quorum primus *anaſtomoſis* vocatur, quæ denotat oſculi vel extremitatis in vaſis apertionem, uti fit in hæmorrhagiis. alter *diabroſis* dicitur, & eſt à re acri & mordaci per eroſionem inducta dictorum vaſorum naturaliter clauſorum apertio, ùt in exſpuitione ſalivæ cruentæ. Tertius *rixis* ſeu rhexis ſignificans earundem apertionem per violentam ruptionem factam, ùt in hæmoptoë, aut alia violenta hæmorrhagia ex caſu, contuſione, vel vulnere contingit. Quartus dein *diapedeſis* aut diapidiſis eſt, latinis perſudatio vel tranſudatio dicta ceu ſpecies morbi viarum aut meatuum relaxatorum, conſiſtens in vaſorum tunicis extenuatis & ita rarefactis, ut ſeroſæ & tenuiores ſanguinis portiones tranſire valeant juxta Gal. L. 3. de cauſ. ſympt. c. 2. fit ergò talis ex tunica rarefacta, ſanguine verò nimiùm attenuato aut reſoluto, unde tranſcolatur iſte, & ſudoris ac roris more per vaſorum latera

tera transmittitur juxta eundem. L. 5. meth. med. c. 2. quam licèt ex RR. quidam, qui volunt illam vel à prioribus duabus ſaltem nihil diverſam eſſe, vel humores, ac tunicas non ita ſubtiles exiſtere, ut tranſudare queant, quin non potius anaſtomoſin aut diabroſin ſupponant, abſolutè non dari contendant, certum tamen eſt rem intimiùs conſideranti, eam imprimis ab anaſtomoſi differre, quòd in hac tam majorum vaſorum ora aperiantur, tum ſanguis cum impetu & in copia prorumpat, A diabroſi verò, quòd & in ea apertis etiam humores vaſorum oſculis promanent, cùm tamen in diapedeſi per illorum ſolùm latera aut poros ampliatos in majoribus transcolentur, aut ſi detur apertis etiam eorum oſtiolis, quia omnino exigua ſunt, humores ex illis copioſi & cum impetu emanare haud queant. Secundi generis *in via* ſcilicet anguſtata morbos conſtituunt ſex differentiæ, quarum prima eſt *obſtructio aut occluſio* vaſorum à nimia humorum copia, vel craſſitie, viſcedine, grumoſitate aut caluclo oriunda &c. v. g. in utero, iſchuria, aut apoplexia. Secunda *conſtipatio*, quæ eſt occluſio viarum ductuum aut vaſorum ob excreſcentiam carneam vel tumorem, vel defectum humidi deficientis, ac craſſioribus portionibus tranſitum negantis, Prioris exemplum habemus in caruncula urethræ, poſterioris verò in conſtipatione alvi à ſcybalis ac induratis fæcibus. Tertia eſt *compreſſio*, dicitúrque vaſorum aut meatuum vel anguſtia vel omnimoda occluſio à re externa incumbente, atque eorum latera comprimente. Quarta *coaleſcentia* eſt, ſive coalitus laterum in meatu quodam poſt ulcera communiter fieri ſolitus, quo non tantùm liquidis ac ſolidis nullus conceditur tranſitus, ſed ipſe canalis & ductus talis unius ſubſtantiæ carnoſæ eſſe videtur, v. g. in polypo narium. Quinta *ſubſidentia* exiſtit tanquam vaſorum ac meatuum conniventia, quatenus ea in ſe concidere aut ſubſidere ſolent, qualis eſt apoplexia ex ſubſidentia ventriculorum & vaſorum cerebri. Sexta demum *conſtrictio* audit, éſtque à cauſa tam interna quàm externa inducta meatuum contractio. Si quis tamen cum Antiquis inter viarum & cavitatum aut meatuum morbos diſtinquere maluerit, per nos licet, firmiter tenentes ſive hoc, ſive alio numero aut diſtinctione exponantur iſthæc morborum vitia, commodum inde majus vel utilitatem ſingularem non reſultare.

Tertii ordinis eſt morbus in multitudine cavitatum aut meatuum, ùt & in omnimodo eorum defectu conſiſtens, cùm ſcilicet plures

adſunt

adſunt viæ aut canales, quàm naturaliter decet; ſic unus tantùm ductus à veſicula fellea ad inteſtinum duodenum aliàs exporrigitur, poteſt tamen contingere, quòd duo ejuſmodi adſint & dentur nonnunquam, quorum alter haud procul à ventriculi fundo p. n. inſeritur, unde bilis facilè coadcervatur, & tales ad vomitum bilioſum proni ſunt, qui proinde Medicis picrocholi dicuntur; vel viciſim, quando ex ipſius etiam naturæ errore meatus penitus deſunt, quale exemplum refert Thiermair noſter Monachii eſſe viſum, ubi homo quidam exterus ſine omni tam muliebri quàm virili noxa comparuit qui ob defectum omnimodum excretoriorum canalium, cùm tam anterius quàm poſterius clauſa fuerint omnia, & ex utraque parte plana prorſus, urgente naturâ excrementa omnia per vomitum rejicere neceſsè habuit, atque ad ora palatúmque à ſordibus purgandum & eluendum aquam roſaceam ſemper ſecum circumtulit. Hinc ipſe retulit ſe inter fæminas educatum, noménque fæmineum ſortitum eſſe, donec tandem erumpente barba & nomen & veſtes mutaverit.

§. 5. Qui dicitur in ſuperficie morbus, atque tertiam confirmationis differentiam conſtituit, non tantùm duplex eſt, in quantum nempe partis cujusdam aut etiam totius ſuperficiei internè vel externè vitiatur, atque p. n. aut exaſperatur, aut lævigatur nimium, quòd accidit, cùm pars, quæ aſpera eſſe debet, lævis evadit ſeu lævitate peccat, v. g. in ventriculi ac inteſtinorum vitiis, ùt lienteria, aut diarrhæa; vel econtra, quando pars illa, quæ lævis requiritur p. n. exaſperatur, ùt in raucedine aſperæ arteriæ. Quæ diviſio quidem communis eſt Galenicis cum ſuo Anteſignano, verùm abſit à nobis tam abjecta ſervitus, ut etiam manifeſtè falſa pro veris admittamus ideò ſolum, quia Galenus docuit, prout optimè habet Quintilianus L. 10. Inſt. Orat. c. 1. *neque id ſtatim legenti perſuaſum ſit omnia, quæ Magni Authores dixerint, utique eſſe perfecta &c.* quæ animadverſio huc probè quadrat, monétque, ne ſubitò acceptemus omnia, quæ Galenus hoc in paſſu dicit, ſed ita comparatos nos eſſe decet, ut ex iis, quæ dicuntur, utiles indicationes hauriamus. Qua de cauſa morbum in ſuperficie rectius nobis diſcriminare videntur, qui cum Senerto L. 2. inſt. med. part. 1. c. 6. ac RR. paſſim illum ſecundum numerum qualitatum vulgò ſecundarum dividendum ſtatuunt, atque ita non duplicem modò, ſed multiplicem, adeóque vel in lævitate, vel aſperitate, vel mollitie, duritie, opacitate, vel perſpicui-

ſpicuitate, raritate aut denſitate &c. conſtituunt, nam cùm partes aliæ ſint molles, aliæ duræ, aliæ coloratæ, aliæ coloris expertes, aliæ opacæ, aliæ perſpicuæ, harum qualitatum mutatio utique morbos parit, quoniam his ita mutatis actiones illarum lædantur, uti fit, quando oſſa mollia redduntur, quæ ceu organa dura eſſe oportet, aut tendines ita indurantur, ut contrahi ampliùs non poſſint, aut etiam oculi tunica vel opaca, vel alieno colore imbuta evadit, quam perſpicuam eſſe decet. Quare dubium, quod incidere hîc poteſt, an nimirum aſperitas aut levitas cum reliquis modo recenſitis qualitatibus reverà morbi exiſtant, vel utrum non potiùs inter eorum effectus ac ſymptomata referri debeant, ſolvitur facilè, ſi conſiderentur hîc, quatenus eæ, earúmque ſimile vitium in organo vel parte aliqua præſens actionem illi debitam aut competentem lædunt, ſícque vitioſam producunt, ſub qua ratione ſpectatæ ſatis diſtinquuntur ab illis tanquam effectibus in earum mutatione, aut vitioſo corporis habitu externo conſtitutis, in quibus res modo contrario ſe habet, utpote quæ læſas actiones primùm inſequuntur, atque ex his, & excretis ſimul vitiatis demum oriuntur, prout dicemus fuſiùs in parte tertia hujus libri de ſymptomatis in ſpecie.

§. 6. Altera morbi organici differentia eſt indecens magnitudo, ſeu morbus magnitudinis, *qui eſt diſpoſitio p. n. partis organicæ, ex vitio magnitudinis aut parvitatis orta*, adeòque duplex eſt, cùm eadem vel augeri vel imminui queat. Utraque rurſus bifariam dividitur, & eſt vel totalis ſeu univerſalis, vel partialis tantùm, cùm nempe corpus totum, aut pars ſolùm aliqua ſupra convenientem naturæ modum increſcit, aut infra ſubſiſtit. Univerſalis vitioſa corporis quoad magnitudinem auctio fit vel ab humoribus bonis laudabilibus, quando illud totum in omnes dimenſiones adaugetur, & ita pingueſcit, ut vix ampliùs moveri queat, in obeſitate aut corpulentia nimia, vel à ſuccis pravis in cachexia, leucophlegmatia & anaſarca. Partialis verò datur, quando ex iiſdem cauſis quædam corporis pars nimium augetur v. g. caput in hydrocephalo, pedes, lien, lingua, aliæque partes juſtò majorem molem obtinent. Viceverſa imminui non minus poteſt corporis magnitudo, ídque jam univerſaliter in maraſmo, hectica aut atrophia totius, modò particulariter & in aliqua tantùm parte, in hujus nempe aritura, aut inſigni naſi vel alterius membri parvitate. Ad quam

morbi

morbi organici differentiam igitur reducendi ſunt omnes longitudinis, latitudinis ac profunditatis exceſſus vel defectus, in quantùm pars corporis, vel ipſum etiam nimìs vel minùs latum, longum aut profundum exiſtit, quamvis tales alii aliorſum referant, atque inter malæ conformationis vitia & quidem in figura ponant, cum quibus non placet multùm altercari, circa ea, circa quæ utrum hoc, ſeu illo modô ſe habeant, nihil refert, quin potiùs cuilibet, ut ſuo ſenſu abundet tam in hac, quàm aliis ejuſdem conditionis litibus libenter indulgemus.

§. 7. Jam verò quod tertiam morbi organici juxta factam priùs diviſionem ejus generalem concernit differentiam, eſt hæc diſpoſitio partis organicæ ex numero vitioſo reſultans, quando nimirum partes aut pauciores aut plures ſunt, quàm natura exigit, & actiones rectè ac naturaliter perfici poſſunt, unde patet, morbum in numero duplicem eſſe, atque in ejus defectu vel exceſſu conſiſtere, ubi tamen inter morbos in numero excedente à nobis propriè non numerantur colli, verrucæ, aut aliæ ſimiles excreſcentiæ carneæ, ex ſuperabundanti materia nutritia oriundæ, ſed ſolùm partes corporis p. n. abundantes, quæ â natura ùt partes aliàs conſtitutivæ, & ad integritatem corporis neceſſariæ requiruntur, ùt eſt ſextus in manu digitus, duplex dentium ordo, aut dens denti adnatus, ùt ùt non inficiemur, tales excreſcentias aliquam corporis partem mentientes, reſque alias p. n. præſentes impropriè ac ſecundariò illis poſſe annumerari, dum à contrario in morbo numeri deficientis pars aliqua corporis adintegrans intelligenda venit v. g. ubi digitus unus, aut alter, dens evulſus, aut teſtis in caſtratione amiſſus deficit ac deſideratur. Circa quos morbos benè adhuc notandum occurrit, eos in concreto, & non abſtracto ſummi debere, ut ita deficientis numeri morbus non dicatur de parte abſente, quæ naturaliter annexa eſſe debuiſſet, hîc & nunc deficiens, ſed de morbo præſente ſeu diſpoſitione p. n. ex ejus abſentia reſultante, ùt allata exempla monſtrant, atque aliàs ſatis notum eſt, non entis etiam non eſſe morbum, ubi dubitari non poteſt &c. quin calvities etiam, cùm, & pilos partes eſſe corporis adintegrantes, ratum nobis ſit, & aliunde demonſtratum, huc propriè pertineat.

§. 8. Poſtrema tandem, ſeu quarta morbi organici differentia *eſt diſpoſitio partium p. n. ex vitioſa earundem locatione aut ſitu vel tali connexio-*

nexione aut compoſitione oriunda, ubi nimirum pars corporis eum, quem ſ. n. habere debet, ſitum mutat, aliúmque obtinet, aut debitam conjunctionem ſeu connexionem non habet cum aliis partibus. Dupliciter itaque accidit hic morbus, quando vel ſitus, vel connexio vitiatur. Mutatur autem ille, ſi pars è loco & ſede ſua naturali ſecedit, atque ita locum alienum occupat, ùt fit in rupturis & herniis inteſtinalibus, procidentia uteri, aut inteſtini recti, oſſium luxationibus &c. Hæc verò vitioſa exiſtit, quando partes inter ſe non benè cohærent, ſed unàcum altera, cui ex naturæ exigentia cohærere non debet, nihilominùs cohæret, quando v. g. clauduntur palpebræ, vel digiti coaleſcunt, aut econtra, ſi non cohæret, cui naturaliter tamen cohærere vel conjungi neceſſe eſt, ut ita diviſio hæc in tales ratione theſeos ſeu ſitûs proprii, & ratione ſyntheſeos ſive conjunctionis cum aliis procedat. De hoc morbo organico finaliter rurſus notandum eſt, eundem ſicuti priores in magnitudine ac numero vitioſo conſiſtentes illud pariter cummune habere cum reliquis malæ conformationis vitiis, quòd iſti æquè oriantur vel à primo ortu ſtatim, vel poſtmodum atque in tempore jam adultis etiam à variis, quæ intervenire poſſunt cauſis accerſantur, ut ſuo loco dicetur. Atque ſimplicibus iſtis morborum organicorum differentiis ita expoſitis, & hinc inde per exempla dilucidatis, haud difficile accidet Tyroni Medico, ſi huc uſque dicta ſatis intellexerit, in compoſitis & complicatis, utpote qui frequentiſſimè occurrunt, ad ſuam quamque ſpeciem revocare, modò attendatur, quod §. 2. non ſine ratione inſinuavimus, atque iterum inſinuabimus ad eorum ideas tum à modis generationis ſeu cauſis atque ipſis ſymptomatis tum inter ſe ritè diſtinquendas.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De morbo communi ſeu ſoluta unitate, aut continuitate in ſpecie.

SUMMA.

1. Quid morbus communis, & an diſtinguendus à prioribus morbi organici ſpeciebus? 2. Quotuplex iſte quoad partes molles, & quid vulnus, ulcus, contuſio, ac ruptura? 3. Quotuplex in duris, & quid fractura in ſpecie?

§. 1.

TErtium jam morborum eſſentialium genus exponendum venit, ille enim morbus, qui unitas ſoluta vocatur, aut continui ſolutio, quo quatenus tam ſimilaribus, quàm diſſimilaribus atque organicis communis eſt, alio nomine etiam communis dicitur, *éſtque diſpoſitio dictarum partium p. n. ex ſoluta illarum unitate reſultans, & actiones lædens*, prout communiter omnes ferè Medici tenent contra illos, qui teſte Fernelio cum Antiquis continui ſolutionem parti propriè ſimilari competere, vel eandem organorum dûntaxat ſive partium diſſimilarium morborum eſſe acriter contendunt. Ratio nobis eſt, quòd in ſoluta unitate non ſolùm partis organicæ figura, conformatio, & connexio, ùt patet, immutetur, ſed & partium ſimilarium unitas ac continuitas, quæ ad earum quà talium actiones ſimilares, nutritionem ſcilicet & auctionem neceſſaria eſt, ſimul aufferatur. Quò verò unitas partibus ſimilaribus quà talibus neceſſaria ſit, ſatis oſtenditur ac revelitur ex virtutis communicatione, licèt enim in non viventibus quælibet pars ſimilaris per ſe ſuam eſſentiam integrè retinere poſſit, & retineat, etiamſi alia nihil accipiat, in viventibus tamen, quoniam in his ab uno eodémque principio ad ſingulas partes aliquid mitti ſolet, iiſque communicari, fieri illud non poterit, niſi partes ſint continuæ, ut ita unitas ſimilaribus partibus per ſe etiam competat, in ſtatu naturali, ut fieri poſſit debitæ virtuitis communicatio, atque adeò ſoluta unitas utris-

utriſque p. n. eſt, & partibus ſimilaribus non minùs quàm diſſimalibus aut organicis morboſa. Ex quo fluit, & falſitas illius opinionis, quæ vult, morbum in ſoluta unitate ſub prioribus in mala organizatione, aut jam includi, aut iis veluti quintam ſpeciem citra errorem ac inconvenientiam accenſeri poſſe, quamvìs enim (quod præcipuum eſt ita ſentientium fundamentum) hîc partis organicæ conformatio & connexio ſine ulla contradictione ſupponatur, ac revera etiam ſit vitiata, aliter tamen longè accipiatur ſoluta unitas, & ſatis diſcriminetur à præcedentibus morbis per hoc, quòd ſolutio continui partis in ſe conſideratæ inſuper actionem lædat, quatenus præcisè eſt continui ſolutio, non autem in quantum ſimul morbus eſt in figura aut connexione vitioſa, ſicut enim partium diſſimilarium quà talium organizatio aut conformatio ſub hac præcisè ratione ſpectata dicit actiones organicas perficiendi aptitudinem aut diſpoſitionem propter debitam ac naturalem ſtructuram organicam tantùm, ùt in phyſiologia diximus, partes verò unitæ præſuppoſita jam illa organizatione debita, debitam inſuper illarum conjunctionem inter ſe aut conſenſum, & connexionem formaliter notant, ita etiam in ſtatu p. n. ſoluta unitas ſeu partes disjunctæ diſtinctum à prioribus morbum denotant, & quidem eum, in quo non ſolùm partis organicæ Conformatio aut Connexio, uti fit in organicis propriè dictis, vitiatur, verum etiam læditur ſimilaris illius unitas, & propter hanc partium ſimilarium quà talium actiones ſimul vitiantur.

§. 2. Pro diverſitate tamen ſubſtantiæ partium, quas unio afficit, generatim duplex eſt hæc morbi differentia, vel enim fit ejus ſolutio in parte molli flexili, ac cedere apta, vel in dura & tactui renitente contingit. Partis cujuſdam mollis unitas, cùm pariter dupliciter lædi poſſit, nimirum vel manifeſtè, vel occultè, in facto aut fieri tantùm pro ratione iſtorum modorum, queîs utraque rurſus variè læditur, diverſas etiam appellationes ſuſcepit, & quidem primò quoad manifeſtam continui ſolutionem, in vulnere einer friſchen Wunden / quod propriè eſt ſolutio continui in partibus mollibus ſine materiæ vel ſubſtantiæ deperditione ab inſtrumento aut re diſſecante ac ſcindente, atque ita magìs ab externo violento tangibili ac manifeſto inducta, éſtque etiam duplex, vel cæſim, vel punctim inflictum. Illud quod cæſim fit in nervis & venis in ſpecie dicitur inciſio, ſicuti quod punctim punctura, quod verò ruptim ruptura vocatur, ac membranis

pro-

propria exiſtit, ubi ſpecialiores vulnerum differentias atque ſubdiviſiones mittimus, cùm ad particularem pathologiam, & ſpeciatim ad Chirurgiam pertineant. Ulcus Geſchwär, quod eſt continui ſolutio cum deperditione ſubſtantiæ à re corrodente proveniens, in partibus æquè mollibus, cujus itidem varias, quas admittit differentias recenſere, non eſt hujus loci. Id ſolùm notamus, quòd, qui ulcus morbum compoſitum eſſe velint, non videantur nobis ſatis rationabiliter ſentire, ſi enim omnia, uti dicunt, tria morborum genera concurrere verum eſt, nulla apparet ratio, quare id non etiam in reliquis ſolutæ unitatis morbis dici queat, quisquis autem accuratus eſſe, ac rem penitius examinare voluerit, deprehendit facilè, actionum læſionem in ulcere (& ſic in reliquis) non à malæ conformationis vitio aut intemperie, ſed à continui ſolutione primò ac per ſe dependere. 3. In contuſione Zerquetſchung/ quæ eſt partis mollis ſoluta unitas citra deperditionem ſubſtantiæ cum impetu facta ſeu cute integra permanente. 4. In ruptura, quæ itidem eſt ſolutio continui ex dilaceratione partis mollis à re non ſolùm ultrà modum diſtendente ac divellente, ſed etiam omnino rumpente modo quocunque violento, de cujus, ùt & cæterorum generationis modis plura dicemus, ubi cauſas iſtorum ex inſtituto ſumus expoſituri. Interim attende ſis, ne confundatur continui ſolutio manifeſta, quæ in modò dictis occurrit morbis, cum occulta, & ea, quæ tantùm in fieri & quoad minima fit, quæque ſolùm incipiens dicitur, atque in dolorificis ac ſpaſticis quibusvis affectibus cauſa immediata ac proxima exiſtit ſymptomatum illorum ſatis moleſtorum.

§. 3. Partium durarum ùt oſſium & cartilaginum unitas ſolvitur, ac læditur 1. in fractura Bein-Bruch/ quæ eſt ſolutio continui ſine deperditione ſubſtantiæ, ac contingit, quando aut cartilagines aut oſſa, quod equidem frequentius eſt, violentiam aliquam patiuntur & franguntur, quod rurſus vel ſine vel cum vulnere, idque triplici modo, & quidem vel tranſverſim, vel recta, vel obliquè fieri ſolet. Si tranſverſa ſit fractura, dicitur ein Quer- oder Zwerch-Bruch/ ſi recta ein Schlitz-Klack oder Spalt-Bruch/ ac propriè fiſſura audit, vel obliquè ein Schlems- oder Schieff-Bruch vulgò appellatur, ubi & quidem circa ſecundam ſpeciem notandum, quodſi in illa oſſa findantur, recta in longum, ac per ſuperficiem

tan-

tantùm, tunc dicatur germanicè ein Zerſchellerung oder ein Bein geſchreckt / ſi verò per totum fiſſa ſint, dictam prius differentiam conſtituat ſimilem ligno aut vitro fiſſo, quæ licèt rarior ſit cæteris, tamen etiam iîs periculoſior judicatur. Neque inſolitum prorſus eſt, oſſa nonnunquam in plura, eáque parva fruſtula conteri ac comminui, ubi ein Zerquetſchung / oder Zerſchmetterung vocatur. 2. In carie, quæ dicitur ſolutio continui cum deperditione ſubſtantiæ à re corrodente proveniens, nam quod in partibus mollibus eſt ulcus, hoc in duris eſt caries dicta, ubi pariter de aliis differentiis non ſumus ſoliciti, quia & de iis hîc ſpecialiùs tractare, ad Chirurgiam ſpectat. Neque Adverſarios nos ille habebit, qui aut plures aut pauciores, atque hoc vel alio ordine ſtatuerit morborum ſolutæ unitatis ſpecies, modò res ipſa plana reddatur, ac ſufficienter exponatur quoad ea, quæ circa tertium hocce morbi genus ſcitu maximè neceſſaria videntur.

SECTIO III.

De Differentiis morborum accidentalibus.

Luſtratis pro more iis modò, quæ differentias morborum primarias atque eſſentiales ſic dictas concernunt, earúmque totum ſyſtema continent, ad reliquas nunc illorum diverſitates accidentales aut ſecundarias exponendas accedimus, ubi prævie ſciendum, ideò eas accidentales dici, quòd ſicuti priores ab ipſa morbi eſſentia promanant, ita iſtæ à circumſtantiis ſolùm ſeu accidentibus concomitantibus ac connotatis extrinſecis unicuique ſpeciei communibus deſumantur, quæ, cùm pro vario ad iſta reſpectu eosdem plurimùm variare, atque diverſas propterea denominationes ſubire faciant, inque foro Medico frequentiùs occurrant, ad morbi genium indolémque accuratè dignoſcendam, atque ita felicem etiam ejus curationem inſtituendam apprimè quoque utiles ſunt, nec ſcitu minùs neceſſariæ, quàm ipſæ eſſentiales, ùt alibi jam inſinuavimus. Hinc culpari merentur illi ex RR. æque, ac AA. Scriptoribus, qui in ſuis inſtitutionibus, & quidem in locis propriis nullam illorum mentionem faciunt, vel ſparſim tantùm

&

& hinc inde unam aut alteram obiter attingant. Sunt autem ipſæ, reſpectu quarum ita variant, differúntque morbi, res iis extrinſecæ ſubjectum eorum, ac cauſæ, licèt enim omnes morbi in eo realiter ac eſſentialiter conveniant, quòd ſint vel ſimilarium, vel diſſimilarium partium corporis noſtri vivi ac ſani, vel utrarumque diſpoſitio talis, quæ actiones ejusdem immediatè ac proximè lædit, quia tamen hæc diverſo modo, gradu, effectu, & eventu contingit, idque propter diverſas cauſas non minùs ac effectus inde dependentes, quàm ſubjectum ipſum morborum, cognitio eorum non poteſt latere Medicum, niſi tam in prognoſi, quàm curatione hallucinari voluerit, quod ne fiat, ex ordine jam oſtendemus, quomodo ac quotupliciter ratione iſtorum morbus accidentaliter differat, variétque.

QUÆSTIO I.

De differentia morborum accidentali ex differenti ſubjecti ratione petita.

SUMMA.

1. Quid morbus univerſalis quid particularis? 2. Quid in- vel externus atque retrogradus, quid occultus ſeu incognitus, & quid manifeſtus, ſeu cognitus magis? 3. Quid publicus, epidemius, endemius, & pandemius? 4. Quid ac quis privatus ac ſporadicus dictus? 5. Quid morbus ſimplex, compoſitus & complicatus, idiopathicus, vel ſympathicus, aut ſymptomaticus potiùs? 6. Quid virilis, fœmineus, infantilis, juvenilis, & ſenilis? 7. Quid congruus ac incongruus?

§. 1.

DIximus prævié, connotata illa extrinſeca, quæ morbos ſecundariò ac vario modô differre faciunt, duplicis generis eſſe, & alia ſubjectum, alia verò cauſas & effectus morborum reſpicere, è qui-

quibus ad ea, quæ ſubjectum ſpectant, ſpeciatim locus, numerus; ætas, & ſexus referuntur. Ipſius etiam Hippocratis L. de flatibus effatum eſt: *Morborum omnium unus & idem modus eſt, locus verò ipſe eorum differentiam facit*, ponente Foëſio, poteſt autem locus hîc dupliciter ſummi, vel quatenus dicit partem affectam, vel regionem notat, ratione quorum variè diſtinquendus morbus venit, & quidem, ut ratione partis affectæ, 1. Alius ſit *univerſalis*, dum totum corpus afficitur, alius *particularis*, qui vel internus vel externus eſſe poteſt, ac certam aliquam, atque unam ſaltem corporis partem occupat. Pro univerſali habetur ille, qui M. S. debetur magis, aut ejus vaſibus inſidet, atque omni ætati, ſexui ac temperamento communis exiſtit, ùt & ii omnes, qui cutis ſuperficiem totam occupare ſolent, qualis eſt lepra Arabum ſeu elephantiaſis, utpote quæ univerſalis quaſi corporis cancer audit, unàcum variolis, morbillis, cachexia, anaſarca, lue venerea, & ſcorbuto. Particularis eſt capitis dolor, ac cephalalgia, ophtalmia, calculus, vulnus, ulcus, fractura, nephritis, ſeu renum inflamatio, ubi tamen probè notes velim, quòd licèt dividatur ita reſpectu ſubjecti, prouti vel corpus totum, vel tantùm ejus pars affecta eſt, morbus in totalem ſeu univerſalem ac particularem, malè tamen ita dicatur partialis, ídque in ordine ad ipſum morbum, cùm in terminis implicare videatur, dari dimidiatas rerum eſſentias, & ratio morbi formalis conſiſtat in diſpoſitione partium corporis humani p. n. qua id formaliter in impotentia naturaliter operandi conſtituitur, ob quam etſi parti tantùm ſubjectivè inhærentem corpus nihilominùs totum denominatur morboſum, quia morbus eſt indiſpoſitio totius in ordine ad omnes actiones ritè perficiendas.

§. 2. Sciendum itidem, in morbis præſertim particularibus mutari quandoque ſtationem, eámque iterum relinqui, quando ſcilicet in iſtis materia peccans partibus, quas antea occupaverat, externis ad intra pellitur & retrocedit, aut retrocedentes, ac eſt eorum peſſima conditio, eò quòd materia illa, quæ ſemel ad peripheriam corporis propulſa eſt, ſive ea ad ſummam cutim, hujúsque ſuperficiem tantùm delata ſit, ſive profundius inhærens deliteſcat, ſubtilioris atque naturæ ſalino-ſulphureæ exiſtens ad partes interiores revertens, atque ad nervoſas præſertim depoſita gravia excitare ſolet ſymptomata,

ta,

ta, eóque graviora, quò magis nobiles partes occupaverit, cujus indolis notiſſimè morbilli, variolæ, petechiæ, purpura, & ſcabies, quæ extimam cutem, ejúsque ſuperficiem tantùm occupant, ùt & bubones venerei, peſtilentiales, carbunculi, tumores podagrici ac venerei, quæ quidem partibus carnoſis ac nervoſis vel glandulis etiam altiùs infixi hærent, unàcum eryſipelate, de quo ultimo Hipp. noſter dudum ita pronuntiavit; *eryſipelas foras quidem accidere commodum eſt, intrò autem converti lethale, convertitur autem intrò, cùm diſparente rubore pectus gravatur, & difficilem reſpirationem habet.* Ubi quod de hoc dixit apertè, id de quovis alio affectu cum quadam inflammatione juncto implicitè eſt intelligendum.

Occultus deinde is dicitur morbus hîc, qui non ita ſe prodit ratione partis affectæ aut ſubjecti, ùt cancer latens, manifeſtus econtra, qui apertè ſe manifeſtat tam in hoc, quàm aliis affectibus manifeſtè in ſenſus incurrentibus. Sed eſt & alia porrò differentia, ſecundùm quam reſpectu cauſarum morbus Antiquis in *occultum* aut *manifeſtum* abit, quam tamen, cùm jam attigerimus, ac rejecerimus de intemperie in ſenſu illorum acceptam, ac per qualitates abſolutas peripateticorum explicatam ad ſequentem quæſtionem, quatenus id cauſarum morbificarum & non ſubjecti attributum eſt, de illa tractare propriè ſpectat, ac declarare, quomodo etiam ſub hac ratione à RR. etiam morbus aliquis dicatur occultus aut manifeſtus.

§. 3. Ratione loci ſeu regionis morbus iterum eſt vel *publicus*, vel *privatus*. Publicus dictus triplex ſtatuitur, & eſt 1. *communis*, græcè epidemius, qui morbus dicitur populariter graſſans, à cauſa quidem communi, ſed tamen inſolita ac minùs familiari exortus, licèt pluribus populis aut regionibus infeſtus ſit. Vocatur inſuper tranſiens, quia cauſa illius, quæ in vitio aëris maligno, venenato ac peſtilentiali conſiſtit, jam ſeriùs jam citiùs denuò tranſit, ubi febris petechialis, varioloſæ, morbilloſæ, aliarúmque malignarum apud Williſ. c. 17. quæ hoc ipſo, quòd aëris vitio, inquinamentis ſcilicet in eo contentis temporúmque conſtitutioni p. n. debeantur, unà ſimul plures infeſtant, ac certis ſolùm temporibus graſſantur. 2. *Endemius*, qui quidem etiam morbus communis eſt, ſed ſimul vernaculus, & cuidam certæ regioni, hujúsque incolis ob cauſam communem peculiariter infenſus ac familiaris, quaſi patrius dicas, aut gentilitius. Differt ergo morbus endemius ab epidemio ex eo, quòd hîc certis ſolùm

lùm temporibus infeſtare ſoleat, propter cauſam communem quidem, inſolitam, atque extraordinariam, contractum ſcilicèt aëris, cujus mirabilem ac variè mutabilem conditionem de morbo occulto priùs deſcripſimus, infecti aut intemperatioris prægreſſi vitium, quod modô ſeriùs, modò citiùs iterum tranſit, ac corrigi poteſt, ille verò nullo non tempore ſe ſe oſtendat, ídque ex cauſa ſemper perſeverante ùt ùt communi etiam, non tamen inſolita, ſed ordinaria, adeóque, cùm certis locis tantùm proprius ſit aut inquilinus, ab eorum ſitu, aëre uſitato, victu conſueto, aut aquis pravis inducitur, atque familiaris eſſe conſuevit, ùt eſt ſcorbutus maritimorum ac paluſtrium locorum incolis, v.g. Dannis, ac Weſtphalis, phtiſis ac lues venerea Anglis & Indis, arthritis & nephritis Auſtriacis, ſtrumæ Styriis ac Tyrolenſibus, plicæ Polonis. 3. *Pandemius*, cujus iterum diverſa eſt ratio, ac præcipuè ab endemio, utpote quòd pandemius ſpecie dictus ad univerſum etiam populum ſpectet, & quaſi plebeius ſit, vulgíque fæcem maximè infeſtet, quatenus is uno eodémque tempore in multos cujuſcunque ſexûs, temperamenti, ætatis, conditionis aut vitæ generis promiſcuè ſævit, quoniam ex communi quoque eáque prorſus inſolita cauſa originem trahit, atque ita magis adhuc, quàm alii populariter graſſatur, & quidem ex genere alimentorum potiùs, aut pravæ vitæ ac victûs ratione aut fame, & annonæ caritate, ex eſu inſolitorum atque talium, à quibus natura aliàs planè abhorret, aut debitis quidem & aſſuetis alimentis, quæ tamen in locis fuliginoſis, ac fætidis diutiùs aſſervata, ſitúque vel putrilagine obſita & inquinata ſunt, aut etiam ex aquarum ſtagnantium ac putridarum ingurgitatione, cujusmodi ſunt maximè morbi peſtilentes, febres caſtrenſes, dyſenteriæ, diarrhææ, morbus hungaricus, ùt & illi omnes, qui ex fructibus ſideratis, ſeu ærugine, quæ peſtis ſegetum eſt, obductis, corruptóque ſecali, ac lolio temulento infecto pronaſcuntur.

§. 4. *Privatus* dein eſt ille morbus individuo quaſi proprius ſparſus aliàs, aut ſporadicus communiter dictus, qui nec populariter graſſatur, nec regioni cuidam determinatæ magis familiaris eſt, neque ullam cum alio communionem habet, ſed contingenter jam hunc, jam illum, ſingulos tamen ſeparatim corripit, ac ſparſim graſſando absque contagii ullius ſuſpicione invadit. Dicuntur tales etiam vagantes morbi, atque alius alium occupat, per hoc rurſus diſtincti à publicis quà endemiis, utpote qui continenter multis hominibus uno eodémque

que in loco degentibus contingit, unde Hipp. L. I. de ratione victûs in acutis, & ipſi Gall. in comment. ad hunc librum, & in definit. medic. deſcribuntur ſporadici, qui omni tempore, omnique loco exoriri poſſunt, & ſolent, quíque ſeparatim quemque invadunt. Et licèt quandoque pluribus accidant, non tamen à cauſa communi externa, ſed per accidens id potiùs fieri ſolet, cùm enim talibus multi aut plures diverſæ ætatis, ſexûs, ac temperamenti homines eodem tempore, atque eadem in regione vel loco correpti fuerint, hoc non contingit, quia in hoc præcisè loco degunt, aut quia plures ibidem alii eodem detenti ſunt, ſed quòd ipſi ſibi talem quocunque demum modô accerſiverint, vel corpus eorum ad contrahendum hunc aut illum antecedenter jam magis prædiſpoſitum exſtiterit, adeóque nulli ex dictis cauſis ſit adſcribendum.

§. 5. A numero, qui pariter ſubjectum tangit, morbus alterus dicitur vel *ſimplex*, & ſolitarius, vel *compoſitus*, complicatus, ac multiplex, prout vel in ſola parte vel unicus præſens eſt morbus, vel plures, ejusdem vel diverſæ ſpeciei, idque vel ob unam eandémque cauſam morbi proximam, vel ob plures ſimiles morbos diſtinctos producentes, fit enim quàm ſæpiſſimè, quòd morbi occurrant compoſiti, ſic intemperies frequenter miſcentur cum organicis, ac ſolutæ unitatis, epidemici cum endemiis, ſebres omnis generis v. g. variolоſæ, catarrhales, & aliæ quæcunque hypochondriacos, ſcorbuticos, nephriticos, arthriticos, verminoſos, aut lue venerea infectos ſæpius corripiunt, ubi ſemper minus tractabiles evadunt, ac medentibus eò plus negotii faceſſunt, quò complicatiores fuerint, quoniam ordinaria & conſueta methodo tractatæ remediis aliàs ſimplici morbo appropriatis ac debitis minimè obediunt, ſed longè aliter curari exigunt, quàm ſi ſimplices extiterint. Eſt inſuper reſpectu partis affectæ ſeu ſubjecti morbus alius idiopathicus aliis dictus, quorum diverſitas maximè in hoc conſiſtit, quod in priore morbi cauſa ibi, ubi ſedem ſuam fixit, hærétque ſtabiliter, ſe ſe principaliter exerat, atque actiones turbet, in poſteriore autem partes aliæ, in quibus illa ſtabiliter non reſidet, aut fixè hæret, ſed aliundè tantùm ſubmittitur, in conſenſum trahantur, ſive dein propter ipſarum inter ſe continuitatem, ſive contiguitatem aut viciniam, ſive etiam, quod ſæpiùs fit, ob earundem per nervos conjunctionem ac communicationem p. n. afficiantur, qualis eſt, ſi dentium dolori, vel ob ejus vehementiam vel violen-

violentam eorum eruptionem aut calculum ſeu vermes latitantes ſupervenerint convulſiones pro ſymptomatis habendi morbi ſympathici, cujus conditionis præcipuè eſt dolor capitis, aut vertigo ex malè affecto ventriculo, vel inteſtinis propter cruditates acidas in iis hærentes, atque ſpaſmos, inflationes, aliàque atrociora, tam in illo, quàm inteſtinorum tractu tormenta inducentes, quibus accenſendus eſt quoque vomitus, qui ordinariè dolorem ex calculo comitatur, atque tuſſis illa, quæ ex acrium & ſalſorum humorum ſaburra in primis viis congeſta concitatur. Exemplum autem idiopathici habemus clarum in illa plerúmque cephalæa aut capitis dolore, qui ſui radicem in capite fixam agnoſcit, quando nimirum epilepſiæ ſpecie, facta graviori capitis pertuſione, aut fragmentis cerebri membranis in fixis oritur, atque ita ob affectum primariò cerebrum ipſum, aut meninges ejus affligit, quíque ex continuitate ſuæ afflictionis, ex variatione doloris ſecundùm phaſes lunæ ac motus ſyderum, ſine præſentia ſignorum morbos aliarum partium denotantium ſatis colligitur, qualis etiam eſt ipſe vomitus, qui ventriculo vel duodeno humoribus bilioſis acribus & corroſivis pilorum identidem rodentibus repleto exoritur, ùt & tuſſis, quæ à tuberculis, vomicis atque obſtructionibus in pulmonum ſubſtantia præſentibus ſero nimirum acriori à ſanguine ſequeſtrato & bronchiorum membranis fortius impacto altiúsque inſidente producitur. Differentia hæc morbi idiopathici à ſympathico eſt magnæ conſiderationis, adeóque non parùm utilitatis habet in praxi non tantùm enim faciliùs ſemper tollitur ſympathicus aut ſymptomaticus, præſertim ſi cauſa ejus adhuc inprimis viis hæreat, è quibus facilè eliminari vel ſaltem in iisdem citiùs corrigi poteſt, quàm ſi jam profundius radicata intimioribus viſceribus impacta delitefcat, ſed etiam (quod maximè notandum) ſublato idiopathicô ſympathicus dein ſua ſponte ac immediatè vel ſucceſſivè ceſſet & auferatur: quorum prius ſi contingat, tunc dicitur verè ſympathicus aut ſymptomaticus, ſi verò poſterius & ſucceſſu temporis demum evaneſcat, tunc deuteropathicus, id eſt ſecundarius audit, & ille protopathicus ſeu primarius vocatur, ex quo prior ſuam originem traxit.

§. 6. Pro ratione ſexûs diſtinquitur morbus 1. in virilem, quatenus viris, & *fœmineum*, quatenus is ſolis fœminis proprius exiſtit. 2. Pro ætate varia itidem variat, atque in infanti-

fantilem, puerilem, juvenilem ac ſenilem tanquam ætatibus hiſce accommodatos dividitur, quos recenſet Hipp. in Coac Prænotion. textu. 512. eósque unicuique ita appropriat ſecundùm Foëſii interpretationem: ſed neque ante pubertatem occupant hi morbi, pulmonum inflammationes, laterum dolores, podagræ, renum vitia, varix in tibia, fluor ſanguineus, cancer non innatus, albicans vitiligo non connata, defluxio in ſpinalem medullam, ſanguinis per ora venarum profluvium, tenuioris inteſtini morbus, quem cordapſon vocant, non à natura inſitus. Horum morborum nullus ante pubertatem metuendus eſt. Ab anno autem decimo quarto ad quadrageſimum ſecundum uſque, natura omnis generis morborum corporis ferax eſt. Contra verò ab hac ætate ad annum ſexageſimum tertium neque ſtrumæ fiunt, neque veſicæ calculus, niſi antea occupet, neque in ſpinalem medullam defluxio, neque renum morbus, niſi ex alia ætate ſequantur, neque ſanguinis per ora venarum profluvium, id eſt, hœmorrhoides, neque fluor ſanguineus, niſi priùs adfuerit, atqui hi morbi ad ſenectutem uſque abſunt. Ita Divinus Senex Noſter, loc. citat. quos iterum fuſè recitat ſect. 3. apho. 24. ad finem uſque; unde colligimus, eos omnes fundamentum ſuum habere in diſpoſitione aut habitudine partium ſolidarum ad motum, ac humores commotos & congeſtos recipiendos, circa quos inſuper notatu dignum eſt, ætates in producendis morbis à capite & ſuperioribus partibus incipere, atque ſucceſſivè ad alias inferiores ac extremas ſucceſſivè progredi, quod fit vel ex nimia, quâ caput in infantia unácum ſuperioribus partibus maximè repletur, humiditate, atque ita fibrarum flacciditate pro eo tempore, in adoleſcentia verò ex impetu majore humorum ſurſum ruentium ob validum illorum elaterem, tonúmque fortiorem, ubi ſi propter partem priùs aliqualiter debilitatam ſtagnare incipiunt, dictos morbos facilè progenerant, remittente autem cum tempore iſthac partium robore, aut plenè deficiente neceſſè eſt humores ex naturali ſua gravitate inferiora petentes, ad abdominis præſertim viſcera deſcendere, ibique hærentes, aut ſtagnantes morbos chronicos, atque imi ventris producere, ut ab inductione, ſi proficuum videretur, facilè poſſet pluribus oſtendi.

§. 7. Diſtinguitur 3. morbus ratione ætatis, temperamenti, ſexûs aut anni temporum in *congruum*, ac *incongruum*, ille dicitur, qui frequentiùs, ordinariè, ac præcipuè hanc vel illam ætatem, hunc aut illum ſexum affligit, ſive hoc vel illo tempore ingruit, atque ita modo dictis circumſtantiis conveniens ac familiaris exiſtit, *incongruus* autem appellatur, qui hisce neutiquam circumſcribitur, ſed potius modo contrario ſe ſe habet. Ita epilepſia, variolæ, morbilli infantibus maximè congrui ſunt, & facilius apud eos ſolvuntur ac leviores accidunt, ſi verò juvenis aut vir iisdem laboret, periculoſior longè eſt iſtorum morborum eventus. Sic & pleuritis in ætate juvenili leviori negotio ſolvitur, quamvis in ſenili utplurimùm necem inferat, ac lethalis exiſtat. Hæmorrhoidum fluxus & affectus apoplectici ac ſoporoſi, licèt familiariter accidant ſenibus, qui tamen, ſi aliquem in prima ætate conſtitutum infeſtaverint, monſtri quid alunt. Reſpectu ſexûs podagra itidem viris magìs congrua eſt quàm fæminis juxta Hipp. aphoriſ. 29. ſ. 6. *Mulier podagrâ non laborat, niſi cùm menſtrua defecerint.* Quoad anni tempora, morbósque iis congruos aut incongruos, quos pro Veris, æſtatis, Autumni, ac Hyemis conſtitutione potiſſimùm accidere ſolitos enumerat rurſus Hipp. ſect. 3. aph. 20. & tribus ſequentibus, *febres præcipuè tertianæ æſtati conveniunt, citiúsque pro eo tempore finiuntur, quæ Autumno incidentes pertinaciſſimæ obſervantur.* Purgationes menſtruæ tandem ætati fæminarum conformiter circa annum ordinariè quinquageſimum deſinunt, quibus ſi in ſenili ætate ſuperveniant, pro graviſſimis ac periculoſis ſanguinis fluxibus habendæ ſunt. Quæ diviſio æquè, ac aliæ magni momenti eſt præſertim in facienda prognoſi, de his enim morbis & veriſſimè Hipp. etiam ſect. 2. aph. 34. ita ſentit: inter morbos minore ſunt periculo, quorum naturæ, & ætati, & habitui, & anni tempeſtati morbus magis connatus fuerit, quàm quibus horum nullus affinis connatúsque exiſtit.

) o (

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De differentia morborum accidentali, ex diverſa cauſarum conditione indole ac effectu deſumpta.

SUMMA.

1. Quid morbus legitimus, ſeu genuinus quid illegitimus, ſive ſpurius, aut nothus? 2. Quid hæreditarius, ac congenitus, & quid adſcitius, & adventitius? 3. Quid occultus & manifeſtus? 4. Quid recens & accidentalis, quidq; antiquus, inveteratus, aut habitualis? 5. Quid brevis, longus, acutus, & chronicus? 6. Quid continuus, continens, remittens, intermittens, atque anniverſarius, aut recidivus? 7. Quid conſtans, inconſtans, periodicus ac erraticus, quid rarus, & frequens? 8. Quid benignus, ac malignus? 9. Quid contagioſus & non contagioſus? 10. Quid curabilis, ſeu potiùs ſanabilis, & incurabilis, ſeu inſanabilis, aut lethalis. 11. Quid periculoſus, & non periculoſus, ac periculoſiſſimus? 12. Quid ſalutaris ac exitialis?

§. I.

Ad circumſtantias ex altera claſſe, ſeu connotata extrinſeca, deveniendo, quæ in cauſas morborum tam propinquas, quàm remotas cadunt, & reſpectu quorum morbus denuò plurimùm variat numerantur imprimis magnitudo, motus, mos, & eventus, quæque ad cauſarum rationem diverſam referri poſſunt alia. Hinc ratione originis 1mo, dicitur morbus vel legitimus ſeu genuinus, vel illegitimus, nothus, ac ſpurius aut corruptus. Legitimus eſt, qui à genuina ſyncera, ac ſimplici cauſa ſeu humore tali oritur, & propterea naturam propriam ſemper retinet, ſibique præſti-

tutam formam, ac ideam non excedit. Quare pleuritis exquiſita, ac genuina ſi eſt, cum inflammatione propriè dicta ſemper conjungitur. Pro ſpurio autem habetur ille omnis, qui propter cauſam morbificam mixtam non ſemper eandem ſervat indolem, ſed variat, ſic eadem pleuritis, ſi ſpuria ſit, ab humore intermixto, ſeu diſpoſitione cacochymica ſovetur. Præcipuè autem hujus claſſis ſunt febres ſpuriæ dictæ, quatenus iſtæ ex perverſo ægri vitæ regimine aut Medici errore, quando nempè febris aliqua intermittens, priùsquàm materia peccans aut minera febrilis debitè evacuata vel correcta fuerit, intempeſtivè reprimitur, alium tamen & quidem pejorem aſſumunt morem, qui plerumque fructus eſt curæ propoſterè inſtitutæ. Idem contingit in febribus continuis exanthematicis, cùm Variolæ, morbilli aut purpura miliaris medicamentis expellentibus paulo calidioribus atque exagitantibus inverſa methodo tractentur, vel quando nimiæ, excretiones, ſolennes tamen, ac ſtato tempore incidentes, quales ſunt in fœminis menſtruales aut in viris hæmorrhoidales adſtringentibus juxta fortioribus præſertim intempeſtivè intercipiantur, vel gonorrhæa aliqua virulenta, per ſtiptica aut balſamica calidiora & ſiccantia præproperè ſiſtatur, ubi ordinariè inſulta ac deterioris, quàm fuêre priora, indolis ſymptomata inſequuntur, quæ denuò in ordinem, ipſúmque affectum priſtinæ ſuæ formæ reſtituere, hoc opus, hic labor eſt ferè plùsquàm humanus. Quod vel maximè obſervandum eſt circa criticas evacuationes in morbis, ne ulla harum improvidè impediatur, aut omninò ſuprimatur. Unde non minùs appoſitè quàm verè ſcribit Celſus L.3. c. 2. *multùm intereſt* dicens, *ut ab initio quis rectè curatus ſit*, an perperam, quia curatio minùs his prodeſt, in quibus aſſiduè früſtra fuit, quêis verbis aſſertè prodit, & hanc morbi differentiam non eſſe nihili in medenda methodo ſed practico probè attendendam.

§. 2. Subdividitur dein morbus ulteriùs in *hæreditarium* vel congenitum, & *adſcititium*, vel adventitium. Prior rurſus eſt qui mediante ſemine à parentibus communicatus corpori noſtro inhæret, ac jure quaſi hæreditario cum aliis bonis relinquitur, in ſolidæ cujusdam partis vitio potiſſimùm, ejúsque imbecillitate nativa ſedem ac radicem fixam ſupponens. Ex affectuum hære-

hæreditariorum numero præcipuè eſt Epilepſia, mania, melancholia, & apoplexia, quatenus iſti, ùt ſyſtematis nervoſi diſpoſitione ſuum habent fundamentum. Si pulmones aliquo vitio, ac imbecillitate laborent, facilè Hæmophtiſis, aut phtiſis inde oritur, quemadmodum, cùm renes, pedes, aut aliæ partes externæ taliter affectæ ſint, Nephritis, calculus, podagra, aut arthritis generantur, ita quoque, ubi ventriculi & inteſtinorum tonus vitiatus, dejectus atque ad ſpasmos à natura proclivis eſt, caput erigit moleſtiſſima illa affectio Hypochondriaca dicta. Sciendum tamen non omnem parentum morbum eſſe hæreditarium, ſed eum duntaxat, qui jam radicatus, & quaſi domeſticus factus, atque habitualis eſt, quique ſui characterem ſanguini ac ſemini inferre, atque ita per traducem propagari poteſt; de quibus Hippocr. L. 2. de prædictor ita habet: *qui hiſcè corripiuntur, ægrè ab ipſis liberantur.* *Adſcitius* econtra vel adventitius iſte appellatur, qui ex abuſu ſex rerum non naturalium primùm naſcitur, & ægro adſciſcitur, adeóque pravæ victûs rationi, & iis omnibus, quæ fluidorum potiùs craſin mutant, originem ſuam debet, propterea etiam citiùs medelam admittit, quô ſi quis corripitur faciliùs etiam liberatur.

§. 3. Diximus priùs, atque ex inſtituto oſtendimus, de intemperie non dari morbum occultæ qualitatis in ſenſu nempè à Galenicis intento. Intelligunt tamen Moderni per occultos illum, cujus, quia novus eſt ac peregrinus, cauſa, & effectus magis adhuc latitant, & abſcondita ſunt, quàm aliorum, ſic legimus apud Celſum in Præfat. pag. 14. rariùs ſed aliquando morbus quoque ipſe novus eſt, quem non incidere manifeſtè falſum eſt, cùm ætate noſtra (pergit ille) quædam ex naturalibus partibus carne prolapſa & arente intra paucas horas exſpiraverit, ſic, ut nobiliſſimi Medici neque genus mali, neque remedium invenerint; quos ideò nihil tentâſſe judico, quia nemo in ſplendida perſona periclitari conjecturâ ſua voluerit, ne occidiſſe videretur. Ita ille & inſigniter ad mentem Recentiorum. atque tales intellexiſſe videtur Hippocrat. quando L. de Loc. in homin. *ſ.* 46to. optimè monet, ne, ſi quis morbum non cognoſcat, medicamentum fortè præbeat, imò verò omninò ac inviolabiliter præcipit. 6. Epid. ſ. 2. text. 50. *ſi non potes prodeſſe, vide ſaltem ne noceas*, conſequenter ex ejus conſilio ac monito ni-

hil tentandum, ſed urgentiori ſolùm quantùm fieri poteſt, ſymptomati proſpiciendum, vel debilia tantùm ac communia propinanda medicamenta, nullam inferentia noxam, vel res naturæ prorſus committenda, ſolis inſiſtendo confortantibus, & analepticis temperatioribus, usquedum ea vel vincat, vel morbum detegat, ac manifeſtum reddat. In quantum igitur illi morbi quorum cauſas occultas dicebant; ſeu in quibus divinum quid ſubeſſe arbitrabantur Veteres, atque ita non poterant ex qualitatibus, ùt putabant, abſolutis ac manifeſtis explicare, quales imprimis iis erant Epidemici, & omnes ii, qui ex ſingulariter nociva, atque venenoſa aëris conſtitutione originem habent, hujus loci ſunt, atque à nobis etiam ad occultos referuntur, in quantum ij & ratione Indolis, & cauſarum, & ratione corporis iisdem affecti tales ſunt, minimè verò ratione qualitatùm occultarum in ſenſu peripatetico acceptarum, adeóque non ex ſe, & ſua natura, ſed ex ignorantia ob diverſitatem iſtorum omnium apud medentes, præſertim Empyricos, ac eos, qui temerario planè auſu, & illotis, ùt ajunt, quaſi manibus in divinæ artis noſtræ praxin involant ſine debita ſcientia theorica, illámque turpiter profanant. Exemplo ſunt ipſæ febres malignæ Epidemicæ, in quibus ob tantam aëris infecti & inquinati differentiam varietas notatur maxima, atque ita, cùm non unius, atque ejusdem indolis ſint, ſemper inordinatæ illius exhalationes, diverſiſſimo & ipſæ ſæpè genio ac moribus incedunt, quæ etiam cauſa eſt, quòd non unam ſemper medendi rationem admittant, & quæ nuper profuêre remedia, hoc anno aut tempore magis noceant, vel ſaltem faciant, quòd eadem medicamenta non poſſint omnibus ſimili morbo laborantibus indiſcriminatim propinari. *Manifeſtus* dein vocatur morbus, cujus cauſæ non ita abditæ ſunt, nec tam profundè latitant prima ejus ſtamina, ſed cognitu faciles ſunt, ſimúlque ſymptomatis ordinariis ſtipati incedunt, eandémque ſemper indolem ſervant.

§. 4. A tempore invaſionis, ac durationis alius vocatur *recens*, & accidentalis, alius *habitualis* antiquus aut inveteratus morbus. Ille eſt, qui & occaſionalis dici poteſt, & à cauſa aliqua evidenti, ac manifeſta ducit originem, nullâ præviâ in corpore ad talem diſpoſitione ſingulari, ſed cuivis ſolet, ac poteſt acci-

accidere ex rerum non naturalium, ac fortuitarum incongruo, aut illegitimo uſu, qualis eſt capitis dolor, qui à vini potu v. g. vel crapula, mora in ſole, vehementiori corporis exercitiô inducitur. Hic autem ſeu habitualis dicitur, qui præviam diſpoſitionem morboſam alicubi in corpore fixam, eámque firmiter inhærentem, radicatam, ac difficillimè corrigibilem ſupponit, quæ à cauſa quavis occaſionali facilè in actum deducitur, & propterea vel per vices affligit, ùt eſt Catarrhus, Rhevmatismus, arthritis, & affectus ſpaſmodici omnes, vel continuò, ùt morbi quidam organici ac febres Hecticæ lentæ: ut ita morbi recentes & accidentales in partibus magìs fluidis, habituales verò, ac inveterati in ſolidis potiùs radicentur, quare, cùm vitium in fluidis partibus conſiſtens faciliori longè labore corrigatur, quàm quod in ſolidorum v. g. viſcerum, aut ſyſtematis nervoſi prava conſtitutione ac habitudine fundatur, & ita altiores jam radices egit, omnes etiam morbi recentes & accidentales faciliùs curationem admittunt, quàm ſic dicti habituales, habituati, aut inveterati, ùt patet in affectibus ſpaſmodicis, qui ſi in habitum, ac conſuetudinem jam tranſierunt, in hypochondriacis aliíſque doloribus inveteratis, difficillimè ampliùs curantur, uti habet Hipocr. Libr. de loc. in homine claris terminis, cujus rationem dat ibidem, ac ideò aſſerit antiquos morbos difficiliùs curari, quàm recentes, quia morbos antiquos primùm recentes facere oportet, atque hoc eſt, quod certè difficillimæ eſt executionis, adeóque plurimùm intereſt, ut ſciat Medicus an morbus, quem curandum ſuſcepit, jam habituatus ſit, nec ne? ad quod ſciendum ſervit exacta hujus diverſitatis cognitio, eúmque tam in curando quàm prædicendo non parùm juvat, redditque certiorem.

§. 5. Ratione motûs, qui modum hîc, quô moventur, aut agit cauſa morbifica, denotat, morbus alius inſuper eſt brevis, alius longus. Sic Hydrops aut paralyſis morbus eſt longus, cùm ſubin diutiſſimè duret, febris autem Ephemera, quia per unum ſolùm diem manet, brevis dicitur. Maximè autem ex hoc capite alius acutus, & alius chronicus uſitatiori nomine audit. Ille eſt, qui citò & cum ægri periculo ad finem vergit, celeritérque ſua tempora percurrens breviter finitur. Hic

Hic nempe chronicus , aut longus (quos inter non diſtinguit Riverius , niſi quòd chronicus ei plerúmque etiam magnus ſit , ùt patet in paralyſi) qui tardiùs movetur, & menſibûs integrîs aut annîs etiam perdurat. Inter morbos acutos maximè refert Hippocr. L. 1. de morb. ſ. 18. febres omnes continuas ac inflammatorias , phrenitidem , pleuritidem , peripnevmoniam anginam &c. Ad chronicos ſpectat febris omnis hectica, tabes, alvi fluxus , arthritidis quævis ſpecies , cachexia , ſtranguria , Nephritis in ſenioribus ,hœmorrhoides , fluxus ſanguineus fæminarum , ùt & phtiſis. Ubi advertendum 1mo. præter febres continuas dictas dari & alios morbos , qui citò ad finem ſuum properant , conſequenter acuti dicendi , qualis eſt apoplexia fortis, ſyncopes gradus ſupremus è medio tollens , aut catarrhus ſuffocativus. 2do. Morbos quoſdam eſſe chronicos ratione propriæ eſſentiæ , ſimul tamen acutos ratione paroxysmorum , ùt conſtat de Epilepſia , quæ morbus quidem eſt longiſſimus , & valdè chronicus ,paroxysmos tamen habens ſubinde acutiſſimos , teſte experientia. 3tio. Acutiem morborum tripliciter conſiderari debere , quatenus nimirùm dicitur aliquis ſimpliciter acutus , vel peracutus , vel acutus ex decidentia. ſimpliciter acutus juxta aliquos rurſus eſt vel exactè , vel non exactè talis , quorum prior die decimô quartô terminatur , poſterior verò ad vigeſimum & ultrà quandóque protrahitur , ùt in febribus continuis videre eſt. Peracutus dicitur , qui vehemens eſt & ita celeriter movetur , ùt , ſi tertiô aut quartô die ad ſalutem aut mortem terminetur , extremè peracutus habeatur , qualis eſt peſtis , ac febris maligniſſima , ſi verò ad ſeptimum uſque diem extendatur ; ſimpliciter peracutus appelletur , & tales ſunt febres malignæ omnes. Acutus demùm ex decidentia ſtatuitur iſte , qui ad quadrageſimum uſque diem perdurat , qui dies proin veluti terminus eſt acutorum ultimus , & primus chronicorum.

§. 6. A diverſitate motûs exſurgit rurſus alia differentia , juxta quam morbus abit in *continuum* ac *intermittentem*. Verè *continuus* eſt , qui ſine intermiſſione ac continuò uſque ad finem affligit , ſuáſque acceſſiones ac ſymptomata ſemper urget. Morbus continuus ſic dictus ſi totâ ſuâ duratione nec intendatur, nec remittatur , ſed eundem afflictionis gradum ſemper ſervet , reti-

retineátque, continens vocatur, cùm verò, licèt continuò duret, ſuas interdum remiſſiones ac exacerbationes habet, remittens propriè appellari conſuevit, ſicuti intermittens dicitur ille, qui intermiſſiones ſuas admittit ac penitùs ceſſat, aut intermittit ad tempus, à ſuis ſymptomatis, in quantum nempè in continuo morbi cauſæ ſubjecto ſuo altiùs atque fortiùs jam inhærent, & proximiores exiſtunt, ex qua claſſe ſunt quoque febres inter acutas relatæ, aliíque chronici ibidem recenſiti; in intermittente verò quovis cauſæ ejusdem in prima potiùs regione vel excrétoriis nidulantur, donec ad partes intimiores translata vires ſuas exerant, ſuúmque in ijs effectum tandem edant, cujus indolis ſunt omnis generis febres intermittentes: huc pariter referri poſſunt illi morbi, qui certo anni tempore redeunt, & quidem eô, quò primitùs invaſerunt, propter quod etiam anniverſarii vocari ſolent. Omnium autem facillimè dicti morbi aſſultum ſuum repetunt vernali, & autumnali tempore, ídque ob ſanguinis copiam, quæ tunc potiſſimùm ſe manifeſtat, ac varios ſpaſmos, ejúsque congeſtiones, quas antiquitùs raptus vocârunt ad alia loca, ſæpiùs progignit, quæ autumni tempore ob aëris inæqualitatem frequentiorem, ac cumulatos inde humores impuros certo & ſtato ſæpiùs menſe revertuntur, ſunt ſpecialiter narium hæmorrhagiæ, pleuritides, peripnevmoniæ, cephalalgiæ & aſthmata. Tempore veris redeunt arthritides, podagra, dolor ischiadicus, diarrhææ, febres catarrhales, deffluxiones Rhevmaticæ ac ſimiles morbi, qui in ſenioribus, atque imbecillioribus ſua ſtata anni tempora ſervantes, eosdem quandóque miſerè diſcruciant, quos inter ſingulariter eminent affectiones hypochondriacæ, per æſtatem ut plurimùm benè valente ægro, ùt ex praxi Modernorum ſatis conſtat. Neque inſolens eſt dari morbos recidivantes, ſeu tales qui quidem ad tempus ſilent, poſteà verò majori cum vehementia ac periculo recurrunt, quia cauſa illorum vel non ſublata penitùs, ſed in corpore adhuc relicta fuit, quæ ſucceſſivè vires reſumens majori impetu prorumpit, vel quòd inſignis quædam imbecillitas ac labes à morbo priore inducta, & in affecta parte remanſerit, quæ dein datâ quacunque cauſâ occaſionali vitioſos motus repetit, ſícque recidivam inducit, uti fieri obſervatur quàm maximè in febribus inter-

termittentibus præſertim ineptè tractatis, & non perfectè eradicatis: Idem fit in variis iisque nimiis ſive per hœmorrhoides, ſive pulmones, ſive ventriculum ingruentibus ſanguinis excretionibus in affectibus aſthmaticis, apoplecticis, paralyticis, cephalicis, aliisque morbis chronicis ùt Ictero, Hydrope, phtiſi, ſcorbuto, qui etſi omninò ſublati videantur, ſæpiùs tamen ex improviſo iterum recurrunt.

§. 7. Ratione diverſitatis motûs cauſarum morbificarum morbus etiam in conſtantem, ac inconſtantem, periodicum, ac erraticum dividitur. *Conſtans* dicitur propriè, qui genium, typum, indolem progreſſum atque effectum conſtanter eundem ſervat, cauſa ejus, ſive continenter, ſive per vices tantùm moveatur, *inconſtans* eſt, qui morem contrarium ſervat, & modò hîs, modò aliîs ſymptomatis ſtipatus incedit. In priore ſi cauſa per vices ſolùm in motu ſit, dicitur ille *periodicus*, qui tum ordinato, tum inordinatô intermiſſionis intervallô, ſuas repetere ſolet acceſſiones, ita quidem ùt vel ſtatu tempore, certo menſe, circa lunæ mutationes, imò etiam certâ ſeptimanâ, die, vel horâ determinatâ redire, vel quoad repetitas acceſſiones variare, & jam hoc, jam alio tempore reverti ſoleat, quod ſi fiat, de genere conſenſualium ſemper eſt, ſpeciatim hypochondriacorum, utpote quorum character eſt, affligere per vices, vagóſque paroxyſmos, & ùt diximus prius autumnali, ac hyberno tempore præſertim infeſtare ægros. Ex numero periodicorum ordinatorum eſt capitis dolor ſæpè, fluxus menſtruus, & hæmorrhoidalis, hæmorrhagiæ narium, aut hæmophtises menſtruæ, vomitus cruenti intra certum menſis ſpatium in fæminis, quibus menſes deficiunt, unà cum febribus intermittentibus, de quibus præcipuè conſtat, eas ſtatîs ac determinatîs diebus, imò verò & horîs reverti. Inter erraticos, ſeu inordinatas periodos ſervantes ſunt dolores ex calculo Colici, arthritici ac præſertim febres ſcorbuticæ vagæ dictæ. A recidivantibus ergo diſtinquendi ſunt per hoc, quòd hi non ſervent periodum, de qua plura, ubi de morborum temporibus particularibus, nam licèt variis ex cauſis facilè revertantur, id tamen raro fit certô, ac definitô tempore prouti periodicis proprium eſt, quarum cauſa non in agente quodam extrinſeco, morboſos ſuos motus tempore determinato repetente, aut in fermento aliquo morbifico,

vel

vel ætheris peregrini propter lunæ ac ſyderum mutationes influxu ſed magis partium debilitate, quæ ſtagnationi ac congeſtioni occaſionem præbet, quærenda eſt. Ita pariter diſcrimen faciendum eſt inter morbum *frequentiorem* ac *rariorem*, quorum ille crebrior eſt, atque omnes ferè homines infeſtare ſolet, hic verò rariùs tam tempore, quàm numero apparet, idque rurſus ſecundùm mentem Hippocratis L. 2. de morb. mul. 14. & L. de glandul. 14. crebra febris ac crebra fluxio dicitur, itaque inter frequentiores referuntur meritò illi, qui communem cauſam, puta, pravam v. g. aëris conſtitutionem agnoſcunt, vel certis quibusdam locis ob peculiarem ſitûs, aquarum, atque alimentorum rationem familiares exiſtunt, quas ſub alia ratione alibi jam conſideravimus, è quibus ſunt catarrhi, Coryzæ, gravedines, tuſſes, febres catarrhales, ac rhevmaticæ, fluxiones, Variolæ, morbilli, febres intermittentes præſertim tertianæ, artuum dolores &c. utpote qui omnes intra ſpatium anni plures vel ſucceſſivè invadunt ex cauſa priore; ex poſteriore verò eveniunt communiter diarrhææ, cephalalgiæ, colicæ flatulentæ, febres quartanæ, hydrops, peripnevmonia, ac ſcorbutus, ùt jam inſinuavimus. Inter frequentiſſimos tamen affectus, qui hominem è medio tollunt, reputanda eſt interna viſcerum inflammatio, corruptio ac ſphacelatio, ùt iis maximè perſpectum eſt, qui defunctorum corporum ſectionibus frequenter adſtiterunt, vel ipſi inſtituerunt. Etſi quidem rariùs appareat ſphacelus, eò tamen frequentiùs occurrit in internis corporis noſtri partibus, cùm neminem ferè eorum, qui morte naturali, eáque non celerrima obierunt reperire ſit, qui non ex tali partium internarum ſphaceloſa corruptione mortuus fuerit, quod plerique modernorum in praxi benè advertunt, ac ſpeciatim annotat Cl. Hoffmannus. Inter rariores habentur apoplexia, mania, melancholia, epilepſia chronica, gutta ſerena, hydrops, icterus, uterque cum veſicæ calculo, quatenus non tam ſæpè, ac priores generantur, & Practicis negotium faceſſunt.

§. 8. Ratione moris quem ſervat morbus alius dicitur *benignus*, & alius *malignus*, quorum primus ſine comitatu ſymptomatum atrocium incedit, atque ea ſolùm ſibi conjuncta habet, quæ quidem à peculiari ſuo, ſed ordinario tamen à ſtatu naturali

receſſu proveniunt, ubi etiam, ſi quædam graviora videantur, ob indolem tamen ordinariam ac conſuetam cauſæ morbificæ minùs æſtimanda ſunt, quia tanta labes ac proclivitas, ad corruptionem non deprehenditur, quanta datur in altero ſeu maligno, utpote qui ob naturam ſuam malignam, id eſt, proclivitatem, ad putredinem, vitæ ac viribus noſtris infenſiſſimam, atque ita ob vehementiam ſuam diriſſima, ac ſæviſſima ſymptomata poſt ſe trahit, cujus ſignum ac ratio quaſi characteriſtica eſt virium proſtratio, ita ut eâ correpti ſæpè non habeant, quod conquerantur aliud, quàm de ſolis proſtratis viribus, ídque ideò, quia morborum malignorum cauſæ magis eas corporis partes afficiunt, quæ motum ac impetum faciunt, ſcilicet humores & ſpiritus, qui ſolidarum robur aliàs firmant, atque ſuffulciunt. Hinc patet ratio, quarè vires maximè, à quibus vita hominis immediatè pendet, ita oppugnari proſterníque videamus, nec mirum, illius decurſum tam inconſtantem eſſe, tam inſueta produci ſymptomata, ac probatiſſimorum aliàs remediorum vires eludi, & ita plures ſubitò necari; quemadmodùm in Benigno, cujus cauſæ mitiores ſunt, nec vitæ nec viribus noſtris adeò infeſtæ, non tantùm ſymptomata apparent mitiora, ſed etiam tempora ſua, ac ordinem ſervant, ſimúlque medicamentorum viribus magis obediunt, quæ etiam cauſa eſt quod raró tam ſubitò pereant homines, niſi ipſorum ægrorum, vel etiam Medicorum culpâ id contigerit. Morbus *malignus* dicitur propterea alio nomine etiam morbus mali moris, eoquòd inſtar ſubdolorum hominum, aut canum, qui non latrare, ſed à tergo mordere ſolent, ex improviſo irruat, & occidat. Eſt verò malignitas hæc (per quam, prouti de intemperie diximus & ampliùs dicendi de hujus in ſpecie cauſis occaſio dabitur, cum modernis certam quandam corruptionem, aut ſpecificam virulentiam in peculiari humorum ac ſpirituum vel diſſolutione vel coagulatione conſiſtentem cum nimia, eáque ſubita proſtratione virium conjunctam, adeóque vitæ noſtræ ſpecialiter infenſam intelligimus) febribus præprimis continuis acutis, exanthematicis propria, graſſarúrque præſertim in fluidarum corporis noſtri partium deſtructionem, earùmque corruptionem tendens actionem ſuam citò abſolvit, queîs ratio illius formalis comprehenditur.

§. 9.

§. 9. Multùm porrò diverſus eſt morbus contagioſus à non *contagioſo*, utpote quòd ille miaſmate ſuo infectivo, quod ſubtilioris, ac fermentativæ indolis eſt, alios quoque inficere, ac ſe ſe multiplicare potens ſit, quando illum cum aëre aut alimentis in ventriculum delapſum ab initio ſuccos ibidem contentos, poſtea verò intimiùs delatum & ſanguinem & Lympham unà ſimul inquinat, & corrumpit. *Non contagioſus* verò modo contrario agat, in aliósque non propagetur tanquam omnis contagii expers, & immunis. Ex morborum contagioſorum & quidem acutorum numero ſunt præcipuè peſtis, & omnes febres malignæ exanthematicæ, ùt petechiales, miliares, varioloſæ, morbilloſæ, Dyſentericæ, quoniam iſtæ in uno corpore reſidentes ſui ſimilem excitant in alio, & quidem vel immediatè ac corporaliter per contactum, vel mediatè ad diſtans, ùt docet Williſ. de feb. c. 12. licèt & ex chronicorum genere multi ſint, qui eandem ob cauſam ad hanc claſſem referri debent, qualis eſt ſcabies, Lepra, Lues Venerea, gonorrhæa virulenta, ſcorbutus ac Phtiſis. Ex quo patet morbum aliquem non hôc ipsô quod contagioſus ſit, ſimul & malignum exiſtere; quamvis omnis malignus contagioſus dicatur, quia ùt ùt talis fermentativæ, & multiplicativæ indolis ſit, ſéque ob ſuccos impuros, & ad putredinem pronos per contagium ſe propaget in alios, tamen non tam atrocibûs aut gravibûs, quemadmodùm malignus, ſymptomatîs ſtipatus, neque tam citò necat, ut iſte, ſed lentè, ni occurratur, perimit. Inter illos autem qui ab omni contagio immunes ſunt, numerantur omnes febres acutæ, quæ tantùm ſtaſi ſanguinis inflamatoriæ debentur, unà cum iis, qui cauſam agnoſcunt viſcerum corruptionem. Interim in illis tamen morbis, qui ex lymphæ corruptione aut putredine ortum ducunt, magìs ſemper timenda eſt infectio, quàm in ſimili ſanguinis vitiô aut ſphacelatione, tam inquàm externa, utpote quæ paulô craſſioris eſt texturæ aut naturæ, quàm humor lymphaticus, qui cùm tenuiſſimus ſit, etiam penetrantior exiſtit, atque in poros altius ſe inſinuans partes fluidas in fermentationem & motum inteſtinum quàm citiſſimè ſuſcitare valet, ùt alibi rursùs ac fuſiùs oſtendemus.

§. 10. Ratione eventûs differt morbus, & alius vocatur *curabilis*, ſeu potiùs ſanabilis, alius *incurabilis* ſeu inſanabilis,

bilis, vel lethalis. Qui ex morbis ſanabiles dicuntur, ij quàm maximè ſunt, quorum vitia adhuc in partibus fluidis ſubſiſtunt, quam ob cauſam faciliùs corrigi ac emendari queunt. Econtrà quandò cauſa eorum in certa quadam labe viſcerum radicatur, inſanabiles judicantur. Primi ordinis plures adducemus, ubi de periculoſis agemus, ſunt autem inter poſteriores hectica ex viſcerum corruptione, hydrops aſcites ex eorundem induratione, hydrops pectoris ex polypo cordis, aut vaſorum pulmonalium, cordis palpitatio, aut aſthma ex hac ipſa cauſa, calculus renum & veſicæ per plures annos jam affligens, marcia hemiplegia, aut paralyſis, ſi inveteratæ fuerint, cancer exulceratus, ſphacelus à cauſa interna, ſurditas, ac gutta ſerena antiqua, exulcerationes pulmonum fiſtuloſæ, aliarúmque partium internarum præſertim nobiliorum læſiones, ejusmodi ſunt præcipuè earum ad vitæ conſervationem magis neceſſariarum vulnera graviora aut læſiones, à vehementiori inflamatione corruptione, & ſphacelo interno provenientes. eſt autem hoc loco ſpecialiter notandum, morbum aliquem tripliciter, & quidem 1mò. ſimpliciter & abſolutè, quorſum enumeratos omnes referimus. 2dò. per ſe ac 3tiò per accidens dici inſanabilem aut lethalem, ut ita primæ claſſis propriè ſint, quibus tollendis, omne humanum auxilium qualecunque illud fuerit, non ſufficit ampliùs ad impediendum, ne mors certò inſequatur. Secundæ claſſis ſunt illi, qui licèt omnem moralem arte humana eos removendi ſanandíque potentiam non ſuperent, ita tamen comparati ſunt, ut ob ſummam quam minantur perniciem, ac exitium, multò plures iiſdem jugulentur, quàm liberentur, adhibitâ etiam omnî poſſibilî diligentiâ, omnibúsque remediîs debitè applicatîs, ubi licèt mors non ſemper ſequatur, ſufficit, quòd utplurimùm ſaltem id contingat, uti fit in peſte, aut apoplexia fortiſſima, in inflammationibus, aliiſque gravioribus morbis ſupervenientibus, v. g. Phrenitide, aut inflammatione ventriculi & inteſtinorum, febribûs item ac affectibûs illîs omnibûs, qui à gravi eáque interna partium nervoſarum læſione oriuntur. Tertiæ demum claſſis habentur, in quibus receſſus à ſtatu naturali levis tantùm adeſt, cauſáque eorum ita ſituata eſt, ut facilè removeri queat, ſi medicamenta ritè applicentur, quin homo exinde abſolutè mori poſ-

ſit,

ſit, aut ſi poſſit etiam, id fiat ſolùm, quòd ex parte ægri, aut medentis in ejus perniciem aliquid commiſſum, aut omiſſum fuerit; qualis eſt febris quomodocunque intermittens, aut vulnus externum levius, ad quod diſcrimen uti ſemper, ita præcipuè ac maximè ad id attendendum eſt, quandò ſuper vulnerum lethalitate judicium expetitur.

§. 11. Periculoſus itaque ratione eventûs ille tandem eſt morbus, qui dubius vel anceps etiam dici ſolet, quia dubium eventum ſemper pollicetur, ac ſæpè ad mortem, ſæpè etiam ad ſalutem terminatur, cujus generis ſunt omnes febres acutæ, quas inter refert Hippocr. L. 1. de morb. §. 18. continuas inflammatorias, phrenitidem, peripnevmoniam, pleuritidem, anginam &c. aliæque tam benignæ, quàm malignæ, de quibus pariter Divinus ſenex noſter ita loquitur S. 2. aph. 19. *Morborum acutorum non in totum certæ ſunt prænuntiationes, neque ſalutis neque mortis.* S. 4. autem & aph. 43. *febres, quæ tertio quoque die vehementiùs affligunt, periculoſiores*, ut ita periculum ſuos gradus admittat, atque magis vel minùs ſeu gravitas aut magnitudo morbi univerſaliter deſumenda ſit, vel à partis affectæ nobilitate, dignitate, ac neceſſitate ad vitam conſervandam, vel à vehementia cauſarum, vel atrocia præſentium ſymptomatum, vel propria eſſentia, vel denique à viribus ſubjecti, atque inde dependente majori vel minori à ſtatu naturali receſſu, reſpectu quorum omnium aliqui etiam periculoſiſſimi dicuntur, quales ſunt quos paragrapho priore ad claſſem lethalium ſecundam retulimus. Ubi ſpecialiter etiam Notandum, ratione præviæ ſubjecti diſpoſitionis morbum ſæpiùs majus vel minus periculum habere, quando ergo ſubjectum imbecille aut ſenile fuerit, ſi viſcera quodam vitiô vel obſtructione inveterata, aut nativa imbecillitate laborent, vel ipſe partium præcipuè ventriculi aut inteſtinorum tonus deſtructus jaceat, ſive denique ſyſtema nervoſum valdè debile atque ad ſpaſmos proclive ſubſit, morbus aliquis, qui aliàs in alio alium longè, eúmque ſalutarem ſortitus eſſet eventum, in ſimiliter conſtituto evadit, periculoſus aut omninò lethalis. *Non periculoſus* autem eſt, quando ille levis tantùm eſt, & periculô vacat, ùt febris intermittens teſte iterum Hippocrate: *quocunque autem modo* (pergit ille ſ. 4. aph. priùs citato) *intermiſerint, extra periculum eſſe ſignificant*, utpote

pote in quibus tantus non eſt à ſtatu naturali receſſus, viréſque deperditæ tempore à febre vacuo facilè denuò recolliguntur. Univerſaliter itaque tenendum, quòd plùs periculi habeant continui, quàm intermittentes; quia in illis continuò, ac ſine intermiſſione licèt non æqualiter ſemper, cùm aliquando etiam ſuas remiſſiones admittant, corpus univerſum affligitur, viréſque identidem magis franguntur, quæ demum penitùs fractæ haud amplius ſufficere poſſunt cauſis, & effectibus morboſis removendis, aut perferendis, quæ etiam ratio eſt, quòd in continuis, ubi natura conſtanter in motu conſtituta, atque exinde nimium debilitata eſt, fortiora remedia nunquam proficiant, morbúſque acutus aliis acutis tanquam ſymptoma ſuperveniens plerúmque lethalis exiſtat, ut adeò in acutis omnibus, harúmque curationibus plùs ſibi vendicet natura, quàm ars noſtra medica, hinc etiam juxta Celſi monitum non ſtatim contemnendum eſt, ſi quid non ſtatim profuit, neque ſtatim removendum, ac ſeponendum, ſi quid paululùm ſtatim juvit, quia profectus tempore expletur, juxta quem perinde L. 3. c. 1. magis ignoſcendum eſt Medico parùm proficienti in acutis morbis, quàm in longis, hic enim breve ſpatium eſt, intra quod, ſi quod auxilium non profuit, æger extinguitur; in chronicis, in quibus teſte eodem loc. citat. neque ſanitas, neque exitium in propinquo eſt, ſed diutiùs perſeverant, & deliberationi, & mutationi remediorum tempus patet, adeò, ut non rarò, ſi inter initia Medicus acceſſerit, obſequens æger ſine illius vitio pereat. Multùm ergo intereſt, ut Medicus periculum agnoſcat, niſi in prædicendo fallere & falli voluerit, prædictiones quippe morborum juxta Hippocratis effatum L. de articul. §. 6. *ſplendidæ ſunt, ac glorioſæ ex cognitione, quo & qualiter & quando ſinguli deſinant, ſive eò vertantur, ut incurabiles fiant, ſive curationis ſpem exhibeant.* atque hanc ob cauſam ac talia prædicendi felicitate, divinos ab antiquitate honores potiſſimùm conſecutum eſſe ſcimus Coum noſtrum, ac meritò, cùm prædictiones eorum, quæ futura ſunt, homines Diis ſimiles reddant, nec legimus quemquam alium, ac ipſum hac in ætate ita excelluiſſe, quidquid de ſe etiam ſentiat Galenus, dum gloriatus eſt, ſe nunquam in prædictione deceptum fuiſſe, unde etiam 3tio. Epid. comment. ult. doctum in arte non valde in prædicendo falli poſſe affirmat.

§. 12.

§. 12. Inter morbos hactenus explicatos alius adhuc *ſalutaris*, & alius *exitialis* audit. *Salutaris* eſt, qui non tantùm ad ſalutem terminatur, hominémque priſtinæ ſuæ valetudini reſtituit, ſed etiam corpus à gravioribus malis liberat, ac præſervat, quod fit, quatenus plerique ſaltem ſalutaribus excretionibus, ac talibus ſolvuntur, quæ cum levamine conjunctæ ſunt, cauſámque morbificam ſive copiâ ſive qualitate, per varia excretoria, nempe vel per ſanguinis evacuationes, vel per cutis poros ac ſudorem, vel inſenſibilem tranſpirationem, vel per crebriores dejectiones extra corpus propellunt. Ex horum genere morborum febris iterum chorum ducit, cujus facilè patet ratio, cùm enim in febre quavis mediante fermentatione partes ſanguinis impuræ à puris, eum ferè in modum, quô vina, muſta, aut cereviſiæ rejectis à ſe fæcibus claræ & ſinceræ evadunt, deſpumentur, & ſecernantur, meritò poteſt illa barbarô licèt vocabulô ſanguipurgium dici, & ſanguini in medicinam venire, prout non modò Antiquiores cum Aſclepiade, ac Celſo, qui L. 2. c. 8. ita ſcribit: *febris, quod maximè mirum videri poteſt, ſæpe præſidio eſt*, ſed & RR. Plerique exiſtimant, eámque pro inſtrumento naturæ habent ad maſſam humoralem depurandam. Quare omnes febres varioloſæ, morbilloſæ, purpuraceæ, arthriticæ, aliæque, quas copioſæ dejectiones comitantur, & quêis cauſa morbifica è corpore eliminatur, rectè morbi ſalutares appellantur, eòquòd hoc modô fermentum febrile ad partes exteriores propellatur. His accenſendæ ſunt etiam intermittentes ſaltem pleræque, ſi ſibi relinquantur, cauſæque febrilis remotio per artem ritè inſtituatur, & non potius per præpoſteram medicamentorum applicationem, aut malam diætæ rationem impediatur. Maximè autem ad morbum ſalutarem pertinent febres catarrhales cum tuſſi aut coryza junctæ ceu omnium ſaluberrimæ, ob cauſam priùs aſſignatam. Hinc è diametro oppoſitus morbus *exitialis* dictus, utpote quòd ſemper in pernitiem vel deſtructionem tendat, adeóque non ſolùm ad mortem terminetur, qualis eſt lethalis dictus, ſed etiam ſi ex eo quis evaſerit, labem quamdam aut vitium in corpore relinquat. De reliquo omnes aliæ, quas tam Antiqui, quàm RR. afferunt, morborum accidentales vel ſecundariæ differentiæ ipſo nomine ſatis cognitæ ſunt, ac cuivis perſpectæ, ut ita fuſiori earum explicatione haud opus videatur.

I PARS

PARS SECUNDA
PATHOLOGIÆ
ſeu
ÆTIOLOGIA
MORBORUM.
SECTIO I.
De Cauſis Morborum in genere.

QUod ratione originis de Noſologia priùs diximus, id de Ætiologia ſuo modo pariter erit prænotandum, quæ idem quoque ſonat, ac ſermo ſeu tractatus de morborum cauſis; quàm neceſſarium autem ſit Medico, in quantum is, ut morbos præſentes aufferat, removeátque, ex officio occupatus eſt, habere exactam & plenam cauſarum eorundem cognitionem, vel ex eo ſatìs manifeſtè colligitur, quòd non ablatâ vel impeditâ causâ morbificâ, etiam non tollatur morbus ipſe, aufferri autem ea non poſſit, niſi ſciat, quæ ac qualis ſit, ut ita in id omnis Medentis labor conſumatur; ſicut enim Philoſophi, qui rerum omnium contemplationi unicè incumbunt, quàm maximè in cauſarum inveſtigatione occupantur, quia juxta notum illorum adagium nihil ſcit, qui rerum cauſas neſcit, ita & Medici, quatenùs de ſanitate recuperanda, morbóque removendo ſoliciti omnia ad hunc finem referunt, præprimis neceſſaria cauſarum morbi obſervatio, earúmque vera cognitio, ſine qua

qua neque morbos præcavere, neque curare poſſibile eſt, unde Hippocr. L. de flat. cauſa, inquit, morborum, quæ ſit, & quod principium, ac quaſi fons, ex quo corpori mala omnia ſcaturiunt, ſcire convenit, hoc eſt enim indicium, expertúsne quis ſit, an omni experientia carens. Hippocrati conſentiunt omnes, ac præcipuè Celſus, qui ſic habet: *Cauſæ inveſtigatio, ejúsque primordia, & occaſio in affectionis & remediorum cognitionem deducunt ampliſſimam,* quod Celſi aſſertum veriſſimum principaliter etiam confirmant ea, quæ de libri hujus ſecundi neceſſitate in prolegomenis §. 7. à ſummi Dictatoris authoritate adduximus, quibus accedit locus ille L. de natur. hum. §. 25. allatum ex Celſo textum adhuc magis explanans, ubi ait: *Curationem inſtituere oportet, ut cauſæ morbi opponamus, ſic enim ſolvitur id, quod morbum in corpore fecit.* Itaque ſi ulibi veritati congruit illud: Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas, valet id maximè in Medicina & in curatione morborum omne certè punctum tenet, redditque Medicum verè felicem. Quare etiam Tullius Oratorum maximus non ex joco dixit: Medici cauſâ morbi inventâ, curationem jam inventam eſſe exiſtiment, ad quas ergò debitè inveſtigandas, earúmque exinde inventionem facilitandam ſinè mora properamus.

QUÆSTIO I.

De Cauſarum morbificarum natura ac Diviſione in genere.

SUMMA.

1. Quid morbi cauſa generatim accepta? 2. An anima humana rectè à Stahlianis inter cauſas morbificas numerentur? 3. Quodnam genus cauſarum Phyſicarum in generatione morbi attendendum ſit? 4. Utrum cauſæ ex Metaphyſicorum ſcholis benè transferantur in Pathologicam corporis humani doctrinam? 5. Quid cauſa in- & externa, ac quæ tales? 6. Quid propinqua ac remota, proxima ſeu immediata, mediata, antecedens, proigumena, & procatharctia? 7. Quid conjuncta & quid continens qualisve harum diverſitas? 8. Quid

cauſa per ſe & per accidens, principalis, inſtrumentalis, adjuvans, ſine qua non, totalis, partialis, communis, propria, occulta, vel manifeſta? 9. Quis ac qualis cauſarum ordo attendendus, ac ſervandus.

§. I.

CAuſa morborum in genere rectè ſtatuitur, *omne illud, quô præſente afficimur*, ita Galenus L. 1. de loc. affectis, quem alibi deſcribit per id, quod ei, qui ſit, aliquam generationis partem tribuit. Aliter atque clariùs natura illius, ab eodem Lib. de ſymptomat. different. rurſus ita exponitur, quòd cauſa morbi ſit illa, quæ ſuaptè, propriis ac inſitis viribus ad morbi generationem confert modo quocunque, cum quo hac in parte conveniunt, tum Antiqui, tum Moderni, ut ita per morbi cauſam nihil aliud intelligatur, quàm principium aliquod materiale per ſe influens in morbum, cum dependentia ex parte effectûs, quod ideò principium influens dicimus, quia morbo tanquam effectui ſuum eſſe communicat, quare omnis cauſa debet eſſe materialis in ſenſu Phyſico, ac poſitiva, cùm non entis ſit nulla actio, aut nihili nulla proprietas vel influxus realis. Quatenùs verò per ſe influens dicitur, idem nobis ſignificatur ac per propriam virtutem ſeu vim à ſe derivatam producens morbum ceu affectum, qui ab entitate ſuæ cauſæ diſtinctus eſt, nam ſicuti alimenta, elementa, & venena, de quibus poſtea inter cauſas morborum ſpecificas fuſiùs, vires poſſident, & facultates ſingulares aut peculiares in corpus noſtrum agendi, illúdque diverſimodè alterandi, ita & cauſæ morborum procreatrices inſitam, propriámque vim, ac potentiam habent partes illius tam ſolidas, quàm fluidas vario modô in actionibus ſuis turbandi, atque immutandi; quia tamen entitativè aliquid de novo producitur. Unde

§. 2. Conſequitur primò inter cauſas morborum referri neutiquam poſſe naturam aut principium quoddam materiæ expers ſenſu interno, intenſione ac potentia præditum omnes corporis humani motus efficiens, eósque, ùt ſtahliani docent cum ſuo Anteſignano, ad certos fines dirrigens, adeóque animam rationalem ſtrictô & laxô tanquam causîs inſtrumentalibus concurrentibus, nulla ratione morborum cauſam exiſtere. Præterquam enim quòd hæc doctrina ſupponat

nat naturam ac animam eſſe idem, atque ita in fidei dogma impingat, aliáque plura abſurda admittat, quæ demonſtrare ad phyſicam relegamus, etiam in principiis Medicis fallit, nam, quemadmodùm actiones aut motus omnes, qui utpote naturales, ad corporis noſtri tanquam machinæ corruptibilis conſervationem tendunt, à cauſis merè chymico-mechanicis, id eſt, humoribus, ſpiritibus ac partibus ſolidis naturaliter conſtitutis, & hîs ceu rerum corporearum potentiis, ac facultatibus earúmque actione, & reactione mutua dependent, ita ab eodem fonte ducendæ ſunt cauſæ omnes illæ, quæ p. n. ſunt, ac morborum generatrices, machinámque noſtram lædunt, aut penitùs deſtruunt, quin neceſsè ſit ad animam humanam tanquam cauſam nimis generalem ac univerſalem recurrere, ſcimus enim ex Phyſiologia, ubi ſanitatis cauſas explicavimus, cauſam ejus exiſtere ſolos humores, ſpiritus, ipſáſque partes ſolidas naturaliter ſeſe habentes, & ab horum omnium conſtitutione naturali velut cauſa interna ſanitatem, aut naturalem corporis diſpoſitionem, vel ipſam naturam ſive mediatè ſive immediatè dependere, quæ dein ſola in cauſa eſt, ratióque formalis exiſtit, quòd, ſicut ultrò concedimus, ab anima quoad modum, id eſt ſecundùm naturam fiant, ergò pariter in ratione contraria actionum aut motuum morboſorum immediata cauſa erit diſpoſitio ejusdem præter naturam mutata, quæ quidem facit, quòd illa ab anima ceu principio univerſali ac formali totum corpus, ſecundùm omnes partes ſolidas continuas informante, quod ſolùm effecit, ut ſimpliciter ac abſolutè fiant, potiùs præter, quàm ſecundùm naturam procedant, hæc verò diſpoſitio præternaturalis ſeu morbus ipſe humorum, ſpirituum atque partium ſolidarum vitiis, ùt cauſis ſuis unicè adſcribenda eſt, ac nulla ratione ipſi animæ, utpote, quæ pro hîc & nunc ab iſtorum vitio in libero ac naturali operationum ſuarum exercitio impeditur, ac tantùm paſſivè ſe habet, ut ita ad hanc confugere in explicandis phœnomenis phyſicis, quamdiu alia ac particularis cauſa aſſignari poteſt, uti Philoſopho, ita & Medico in morboſis turpe eſſe reputetur; fieri id citra ſufficientem rationem ac neceſſitatem patet, quod enim actiones in ſtatu ſano ac naturali ſecundùm naturam efficit ſine eo, quòd in cenſum cauſarum hujus affectûs ſpecialium ipſa inſuper anima venire dicatur, illud etiam, ſi præter naturam immutetur, easdem turbare, aut vitiare poteſt, quin animæ concurſus requiratur, niſi ea conſideretur, ùt forma corpus totum informans, ſub qua ra-

tione, ùt diximus, nimis latè patet, atque pro formali actionum vitæ adeóque tam ſanitatis, quàm morbi cauſa habetur. Deinde implicare in terminis videtur, quòd res præternaturalis, qualis quàm maximè eſt omnis morbus, cauſam ſupponat & agnoſcat ipſam naturam, ab eáque dirigatur, qualitercunque demum accipiatur, quæ eatenùs inſuper, quatenùs cum anima noſtra idem dicit, in conſiderationem Medicam inter cauſas morbificas venire non poteſt, tanquam ens aut principium ſpirituale, ſcientia ac intentione inſtructum, atque ita omnis materiæ expers: ſin verò per principium hocce actionum aut motuum morboſorum directoriorum intelligatur aliquid ab anima aut natura diſtinctum, illud ſupponitur potiùs, quàm ſolido fundamentô probatur, niſi ſit id, quod nobis principium inſtrumentale vitale, mediatum vel immediatum dicitur, atque in ſanguine ac ſpiritibus continetur, quam aſſertionem non tantùm non repudiamus, ſed etiam ùt noſtram defendimus, & acceptamus.

§. 3. Conſequitur 2dò. uſitata illa quatuor cauſarum genera, quæ Phyſici agnoſcunt, cauſam puta *formalem*, *materialem*, *finalem*, ac *efficientem* minùs rectè hoc in ordine ad generandos morbos attendi, atque è foro philoſophico ad Pathologicam cauſarum morbificarum doctrinam, earúmque ætiologiam transferri & applicari, quod multi ex Recentioribus præter ſtahlianos faciunt, verùm ſolam cauſam efficientem huc trahi debere, ùt ùt aliàs harum uſus in Medicina haud alienus eſſe videatur. Ulterior hujus ratio nobis eſt, quòd in ordine ad generationem morborum nulla alia in conſiderationem venire poſſit, quàm illa, à qua morbus effectivè dependet, quatenùs in eum realem ac phyſicum influxum præſtat juxta datam ſuperiùs definitionem. Deinde, ſi ſumantur dictæ cauſæ in eo ſenſu in quo accipi debent, & accipiuntur communiter à philoſophis, non poſſunt huc transferri, quia materialis ex illis ea eſt, in quam certa forma introducitur, & per hanc ſubjectum morborum intelligitur, atque intelligendum eſt, de quo antecedenter fusè locuti ſumus, *formalis* autem ipſiſſima forma, quæ in materiam introducitur, per quam morborum naturam, eorúmque eſſentiam determinatam ſcilicet, Diſpoſitionem p. n. nobis ſignificare volunt, & hanc pariter ſuo locô pluribus hucusque expoſuimus.

Quod

Quod finalem ſpectat, ea certè locum hic non habet, aut uſum, quam etſi dari affirmet ex Antiquis Fernelius L. 1. Pathol. c. 9. atque pro tali aſſignat actionum corporis humani interitum, earúmque læſionem, cui aſſentitur Horſtius de morborum cauſis ita differens: morbus eſt imperfectio, ita finem ſalutarem non obtinet, ſed eo loco terminum habet uſui ſanitatis contrarium, nimirùm functionis læſionem; Probabilùs tamen, contra hos negat Valleſ. L. 4. controverſ. c. 3. & ex eo Senertus L. 2. p. 2. c. 1. *quia*, ùt ajunt, *morbus eſſentiam ſuam habet in imperfectione, quæ finem non admittit*, utpote quòd iſte ſemper bonus eſſe debeat, quod tamen, ùt patet, hic fieri non poteſt. Verùm quidquid ſit de cauſa finali pathologicè ſpectata, ex dictis nobis certum eſt, Medicos cum Galeno, quando de cauſis morborum tractant, de ſola efficiente ſolicitos eſſe, de qua proin juxta Paul. Sorbaith. Iſagog. Med. p. 2. c. 2. de cauſis morborum loquentem: hic præcipuè agendum, quæ propriè ſanitatem oppugnat, ut ita cum ſanioribus (ùt loquitur Vicarius) artis noſtræ Proceribus, quos inter facem præfert ſolertiſſimus Ettmüllerus, ſola efficiens attendenda, atque ſub hac tam formalis, quàm materialis veniat conſideranda.

§. 4. Conſequitur 3tiò. Illud, quod modò de cauſis Phyſicis, earúmque generibus dictum eſt, ex eadem pariter ratione de Metaphyſicis intelligendum eſſe, eóque magìs, quò certiùs patet, tales potiſſimùm ſecundùm actiones humanas adornatas atque inſtructas eſſe, ùt apparet præcipuè in ſtahliarnorum ſyſtemate, quod ex concatenata ſimilium cauſarum ſerie in hunc ferè modum ab ijs concipitur circa morborum generationem. Dicunt nempe, docéntque, quòd quamprimùm ob præſentiam cauſæ cujusdam morbificæ corpus humanum ſenſibiliter affligitur, ejùsque propterea ruina aut periculum imminet, hoc omni modo ab eodem ſit avertendum, ante omnia autem anima humana ubi prævidet imminentem ſui corporis deſtructionem, aut interitum intelligit, ad hoc executioni dandum, atque efficiendum collectis viribus omnibus concurrat, motúsque inſtituat morboſos, ſub qua ratione cauſa ipſis dicitur efficiens, illa verò materia peccans, aut pernitioſa, quæ corpori ruinam minatur, aut exitium molitur, cauſam conſtituit materialem, cujus

dein

dein è corpore expulſio vel eliminatio cauſa objectiva ſtatuitur, & quoniam talis eliminatio fieri debeat, ac fiat per certos motus ſecretorios, & excretorios, per hos cauſa formalis intelligitur, ipſæ verò partes ſolidæ, aut viæ, per quas ea contingit, inſtrumentalis audiunt, ubi finalis tandem eſt ipſa corporis ab omni deſtructione ac interitu conſervatio. Plauſibilis ſanè explicatio, ſed utinam etiam tam utilis, ac vera in reddendis morborum cauſis, eorúmque phœnomenis exponendis; cùm mentis potiùs, aut intellectûs operationibus, quàm corporis effectibus explicandis apta ſit, neutiquam verò ritè accomodata ad hoc, ùt in phyſicam corporis noſtri ſcientiam recipiatur, admiſſâ quippe tali per cauſas metaphyſicas explicandi ratione omnis vera demonſtratio in Medicina, quæ circa veram cauſarum corpus quoad operationes ſuas lædentium, ac mutantium inveſtigationem potiſſimùm verſatur, in eáque præcipuè occupata eſt, ſimul ac ſemel caſſa ac præciſa, omníſque via præcluſa ad utiles inde indicationes eruendas, ùt conſideranti facilè patet. Interim tamen, quia hæc Methodus ſimpliciſſima eſt, nimíſque generalis, à Tyronibus etiam, quibus ſimplicia, atque ea, quæ captu facilia ſunt ingenium non úſque adeò fatigant, valdoperè arrident, mirum non eſt, quòd avidiſſimè & cæco quaſi animi impetu juxta Cl. Hoffmanni criſin hodie longè faciliùs, quàm quævis alia magìs utilis ac ſpecialis arripiatur, & amplexetur.

§. 5. Quoniam autem juxta generalem cauſæ morbificæ definitionem priùs allatam omne illud talis eſſe ſtatuitur, quod ad morbi productionem quoquo modo confert, diverſiſſimum planè hoc cauſandi genus exiſtit. Duo verò ſunt ſumma primáque cauſarum morbos efficientium genera, quæ variè quidem ab Authoribus dividuntur, communiter tamen in externas atque internas diſtinguuntur, quarum exactior cognitio cùm admodùm neceſſaria ſit in Medicina, de iis etiam paulò fuſiùs tractabimus. Internæ cauſæ ſunt, ac rectè dicuntur illæ, quæ interiùs latitantes ex artificioſa conjectura eruuntur, ac cognoſcuntur, atque tales ſunt, ac fieri poſſunt, res omnes, quæ in corpore noſtro reperiuntur ac præter naturam ſe habent, ùt humores, ſpiritus partes ſolidæ, quas Hippocrates per continentia intelligit, calculi, vermes, flatus ac Vapores. Per cauſas externas communiter

ter procatharcticas ſeu primitivas intelligunt tam Antiqui quàm Recentiores, quales nempe ſunt: aër, cibus ac potus, motus & quies, ſomnus ac Vigiliæ, excreta & retenta, atque animi pathemata, ê quibus licèt quædam, ùt poſtea videbimus inter internas potiùs numerandæ videantur, eoquòd intra corpus noſtrum ſint, ùt ſomnus & Vigiliæ, aut animi pathemata &c. nihilominùs externæ vocantur ideò, quia iſtæ evidenter ac manifeſtè ſenſibus noſtris ſubjacent, paténtque, atque ita nullîs opus eſt conjecturîs ad eas eruendas ac cognoſcendas, non autem quòd revera extra corpus exiſtant. Neque tamen propterea cauſæ procatharcticæ cum evidentibus confundendæ ſunt, dum omnis quidem cauſa procatharctica evidens eſt ac manifeſta, ſed non omnis manifeſta & evidens eſt cauſa procatharctica, ùtùt ambæ ſint externæ, evidens enim cauſa, præterquàm, quòd in ſenſus incurrat manifeſtè, peculiares inſuper in corpore diſpoſitiones prærequirit, ut agere poſſit. Sic gladius eſt cauſa evidens ſolutæ unitatis, ſed non procatharctica, utpote quæ effectum ſuum nunquam immediatè producit, ſed aliam cauſam, quæ ſit morbo propior, in corpore præſupponit, uti patet in vigiliis diuturnioribus; quæ non ſtatim corpus qualecunque in morbum præcipitant, & febrem v. g. accendunt, niſi corpus ipſum jam prædiſpoſitum, & ad recipiendum calorem habile, atque accomodatum exſtiterit, quæ diſpoſitio aut habilitas â plethora vel cacochymia tanquam cauſis internis dependet, ſunt tamen præter modò dictas res neceſſariæ aliæ fortuitæ, quales ſunt Balnea, remedia pharmacevtica, vel chirurgica, veſtimenta, lecti, aliæque plures, quatenùs morbos contingenter cauſant, ùt gladii ictus, ruentis lapidis, & beſtiarum occurſus, quorum impetus cæci nec arte provideri nec declinari poſſunt, neque adeò Medici curam requirunt, ac res non naturales quæ ſecundariæ dicuntur propterea, quòd & iſtæ, ſi ritè uſurpentur, corpus noſtrum ac ſanitatem conſervent, ſi verò perperam adhibeantur, ad modum priorum ac primariarum dictarum eandem deſtruant aut corrumpant. Quæ omnia, cùm diverſa ratione effectum ſuum, ſcilicet morbum producere poſſint

§. 6. Altera jam generalior atque ſcitu maximè neceſſaria cauſæ morbificæ diviſio eſt in *propinquam* ac *remotam*. Illa eſt,

quâ poſitâ, ponitur etiam effectus, nempe morbus, hæc autem, quæ latentem in corpore cauſam ſolùm excitat, & movet. Ex his *propinqua* dein ſubdividitur ulteriùs, in *immediatam* ſeu proximam, ac *mediatam* vel antecedentem, prior rurſus in *internam* & *externam* proximam diſtinguitur, éſtque ea, quæ morbum immediatè, nulla alia interveniente, producit, illúmque proximè attingit, ita quidem ſicuti diximus, ut eâ poſitâ, ponatur hoc ipſo effectus aut morbus. Poſterior ſeu *mediata* vel antecedens morbi cauſa nobis dicitur, quæ illum mediatè tantùm cauſat, ſeu quæ cohæret mediatè cum morbo à ſe per intermediam cauſam producto, in quantum iſta cauſam immediatam ac proximam ſic dictam, reipſa primo primam, quæ ita coincidit cum morbo, ut inter hanc & morbum nihil intercedat, fovet ac movet, atque ita mediante eâ morbum efficit aut producit; quare res omnis in corpore p. n. latens ex qua morbus oriri poteſt ac ſolet, proximè tamen morbum non attingit, nec poſita illâ eum poni neceſſe eſt, cauſam ſolùm mediatam conſtituit, ex quo patet, cauſam hanc non actu efficiendô, ſed etiam potentiâ definiri, fieri ſiquidem poteſt, ut ea priùs tollatur, quàm morbus ſequatur. *Remota* dein morbi cauſa eſt, quæ deliteſcentem in corpore cauſam excitat; quoniam verò non ſolùm mediata, ſed & remota cauſam proximam antecedit, hinc etiam quævis antecedens vocari ſolet, hôc tamen diſcriminis intercedente, quòd antecedentes internæ, rursùs alio & quidem græco nomine proigumenæ, externæ verò procatharcticæ aut occaſionales appellentur, eoquòd iſtæ, ùt diximus, latentem in corpore cauſam mediatam, aut diſpoſitivam excitent, & ſic anſam præbeant, ut exerat ſe ſe, atque in actum erumpat. Nomine cauſæ immediatæ, aut proximæ veniunt nobis congeſtiones, ſtaſes, aut motus partium ſolidarum æquè ac fluidarum perverſi, vitioſi, atque ordinis expertes. Pro mediatis cauſis habemus plethoram & cacochymias, variáque ſeri aut bilis aliorúmque humorum vitia, ad quas etiam ſpectat diſpoſitio quælibet morboſa præcedens, aut ſimul juncta, ſive hæreditaria illa ſit ac connata, ſive adſcititia, aut adventitia, unacum ſexu ac ætate, quatenùs cauſæ nomine veniunt. Remotæ tandem ſeu procatharcticæ cauſæ ſunt res non naturales omnes, de quibus ùt cauſis externis priùs locuti ſumus. Atque hæc diviſio in cauſam

ſam

ſam proximam, & antecedentem, eámque mediatam ac remotam, cùm illa ſit, quæ præcipuè & vix non unicè attenditur in praxi, maximæ conſiderationis eſt in Medicina, uti de iis uberiùs differemus.

§. 7. Tametſi explicatarum modò cauſarum notitia Medico practico ſufficere poſſit, cauſa tamen proxima dicta aut immediata ulteriùs dividenda venit, ſub alia ratione, quatenùs nempe ea vel conjuncta, vel continens eſſe poteſt, atque dupliciter adhuc accuratioribus ſubdividi ſolet, quarum poſterior, an & quid formaliter propriè ſit, magnas lites excitavit ſuperioribus ſæculis in ſcholis Medicis, ita quidem ut etiam convitiis non abſtinuerint aliqui, veluti in Fuchſio & Argenterio videre eſt, variiſque ac prorsùs contrariis præſertim apud Antiquos ac Galenicos opinionibus anſam dedit, ſine eo tamen, ut ullus, vel ſanè exiguus in artem Medicam fructus exinde redundârit, è quibus alii eandem rejiciunt, alii econtra recipiunt, & quidem plerique omnes, ita tamen ut in diverſas iterum ſententias abeant, dum quidam cum cauſa quavis proxima ac immediata illam coincidere volunt, quidam cum morbo ipſo idem eſſe ſtatuunt, quidam etiam cum proxima confundunt quidem, ſed non in omni morbo præſentem eſſe contendunt. Nos paucîs rem ita contrahi & explicari poſſe putamus, ſi enim penſiculatiùs examinetur, liquet utique cauſam continentem (quam alii etiam continuam vocant) vel latè vel ſtrictè ſumi poſſe, ac poſteriori modo ſumptam Medicis dicere propriè ac formaliter illam, quæ morbum, quamdiu exiſtit, immediatè ac proximè ſuſtinet, quâve remota morbus eſſe ceſſat, ob materiam aliquam aliundè ortam, hinc aliter etiam & ſic definitur, quòd ſit cauſa conſervativa effectûs quo ad eſſe exiſtentiæ, ut ita ſtrictè tantùm tribuatur morbis, à ſola materia eáque magis extravaſata ac definita oriundis, quamvis latè accepta ac realiter ſpectata idem ſit cum cauſa immediata ac proxima morbi interna, quæ ita proximè eidem cohæret, ut poſitâ illâ ponatur & morbus, eâ verò ablatâ ſimul etiam, & neceſſariò auferatur, unde patet omnem cauſam continentem eſſe quidem proximam, ſed non viciſſim omnem proximam eſſe continentem, neque omnes morbos ad ſui exiſtentiam ac durationem ſupponere, ac requirere cauſam continentem ſicuti proximam,

ſed ſolùm internos, eósque cum materia dictos, atque à plethora vel aliqua cacochymia exortos. Exemplum habemus in calculo, qui eſt cauſa continens obſtructionis urinæ, quemadmodùm ſanguis ſtagnans Anevriſmatis, varicis, aut ſugillationis, vel pus tumoris, &c. calculô enim vel alia re quapiam meatum obſtruente amotô, aut humore tumorem efficiente evacuatô, obſtructio, vel tumor illicò deſinit ac diſparet. Altera proxima etiam, ſeu quæ conjuncta vocatur, paritérque in multorum ore verſatur, habetúrque pro illa externa, quæ immediatè quoque ac primò & per ſe morbum aliquem producit, ita tamen, ut eâ datâ detur quidem hoc ipſo etiam morbus, illâ verò ablatâ non ſimul auferatur, cujusmodi eſt gladius v. g. in vulnere absque concurſu cauſæ cujusdam internæ, illud namque remota ſua efficiente proxima, quæ hìc & nunc gladius eſt, nihilominùs durat, ac perſiſtit. Ex quo ſatis rurſus colligitur, inter cauſam continentem ac conjunctam 1. aliquod diſcrimen intercedere, quod licèt neget ex Antiquis Lang. L. 1. Epiſtol. 15. & Jobert. de iterand. phlebot. ad Gaudin. defendunt tamen ex iisdem Valleſius L. 4. controverſ. c. 3. Montan. part. 2. fol. 408. & Mercatus L. 3. de morb. q. 175. n. 9. conjuncta enim à proxima diſtinquitur, quatenùs per illam talis intelligitur, quæ quidem immediatè ac proximè ad producendum morbum præcisè ſub dicta ratione concurrit, atque ſimul de genere cauſarum externarum exiſtit, ſicut illa ex claſſe internarum eſt. 2. Immediatam ac proximam, quæ ſemper unica tantùm eſt, in externam atque internam diſtinquendam eſſe, eámque quatenùs interna adeóque occulta ſæpiùs eſt, ac ſenſibus non ita patet, non ita facilè etiam aſſequi poſſe, ac ſæpiùs ignorari, ubi ſi curatio nihilominùs feliciter abſolvatur, adſcribendum id erit unicè juvantibus ac lædentibus, ad quæ reflexio à Medente facta eſt, quemadmodùm à longo jam tempore, ad talia etiam ſedulò ſemper fuit reflexum, ac reflectendum eſſe inculcatur.

§. 8. Verùm ad hoc cauſandi genus non tantùm cauſa efficiens, ſub dictis modo differentiis, ſed & ſub aliis, ad quas diſpoſitiones ac conditiones *ſine quibus non* communiter referri ſolent, ſpecialiter inſuper reducuntur, cùm quidquid in corpore noſtro ad morborum generationem aliquid confert, dictis confor-

formiter cauſa morbifica appellanda ſit, quarum pariter notitiam habere oportet Medicum. Præ aliis autem nota eſt illa quoque diviſio, ſecundùm quam alia dicitur *cauſa per ſe*, utpote quæ affectum ex ſe per virtutem ſibi connaturalem, atque ita viribûs propriîs, uti dictum producit. Alia dicitur *per accidens*, & eſt ea, quæ hunc agendi modum non ſervat, ſed aliud quid excitat, cujus interventu morbus inducitur, ſic particulæ ſalino - ſulphureæ fortiùs agitatæ per ſe æſtum faciunt, quod motus corporis præſtat per accidens, atque in tantùm in quantùm dictas portiones excitat. 2dò. Alia rurſus ſtatuitur *principalis*, quæ primum, atque majorem effectui dat motum, quare Cachexiæ cauſa principalis ſanguis eſt effætus, ſegnior, aqueiſque particulis refertus, quæ utique cum proxima una eſt. Alia *Inſtrumentalis*, quæ non niſi virtute alterius effectum ſuum edit, aut operari poteſt, ſic gladius non infligit vulnus, niſi ab alio ita directus, & applicatus fuerit, pertinétque ad cauſas procatharcticas. 3tiò. *Adjuvans* vocatur illa, quæ ut alia faciliùs, citiúsque operetur, contribuit, qualis eſt ſiccitas lignorum adjuvans illorum incendium, aut diſpoſitio cholerica ad morbos ex bile ortos magìs recipiendos apta. *Cauſa ſine qua non* audit, ſine cujus concurſu morbus non fit, quæ tamen ambæ referri iterum debent, vel ad proximam vel ad antecedentem proigumenam, aut procatharcticam. 4tò. *Totalis* denuò vocari ſolet, quæ ſola producit aliquem morbum, ùt fermentum febrile eſt reſpectu febris, quia eandem unicè excitare poteſt, licèt antecedenter aliæ quoque cauſæ concurrant, adeóque eadem eſt cum ipſa cauſa proxima. *Partialis* econtra eſt, quæ ſe ſolâ non ſufficit per ſuum influxum ad producendum morbum, ſed alterius inſuper concurſum requirit, aut ſupponit, qua ratione tamen non differt à procatharctica. 5tò. Appellatur alia *communis*, quæ ſcilicet plures afficit, aut pluribus afficiendis communis exiſtit, ſicuti aër infectus &c. Verùm & hæc eſt merè occaſionalis, aut procatharctica. Alia *propria*, utpote quæ hunc vel illum ſolùm infeſtat, ùt menſes, eorúmque exceſſus vel defectus fæminas. 6tò. demum alia *occulta* eſt, & alia *manifeſta*, de quibus ubi de morborum reſpectu cauſarum diſtinctione ſufficienter diximus.

§. 9. Et licèt abundè colligatur ex dictis, in generandis morbis, non unam ſed plures concurrere cauſas, quarum ſeriem ac ordinem probè ſcire decet Medicum, id tamen etiam certum eſt, illarum catalogum eô, quo jam recenſuimus modô magis metaphyſicè quam Medicè concinnari, prouti pridem annotavit Amannus in ſuo conſilio de Inſtitutionum Medicarum emendatione L. 2. p. 2. c. 1. & ſufficere Medico, ſi rerum earum tantùm, quæ præter naturam in corpore fiunt, cauſas proximas & antecedentes, quæque illas regunt, ritè habuerit cognitas, atque perſpectas, cùm innumerabilis hac ratione ſit cauſarum morbificarum conditio, & concatenata earum ſeries in infinitum quaſi extendi poſſit, quemadmodùm ſatis eſt Phyſico in rebus, quæ à natura fiunt, & in quibus in infinitum ferè progredi poteſt, cauſas tantùm proximas nôſſe, quamvis inficiari non poſſimus, iſtâ cauſas morbificas exponendi methodô omnes, quæ dantur, rerum differentias benè expreſſas atque appoſitè ſcriptas eſſe, quæ tamen in praxi ſecundùm literam nec poſſunt applicari, nec etiam, ſi id poſſibile foret, ſingularem aliquam utilitatem afferre, quæ non habeatur ex cognitione dictarum paucarum, ac principaliorum. Quare cauſas morborum in libris ita ſcriptas, facilè quidem legi, circa ægrotantium lectulos autem difficulter applicari poſſe arbitramur, quia has inter ſtatim diſtinquere, ſicuti difficilè, ita nec ſingulariter proficuum videtur. Ne tamen & inter iſtas paucas, quarum notitiam practicè ſufficere diximus, ordo confundatur, quod fieret, ſi locò proximarum cauſæ antecedentes habeantur, uti Recentioribus maximè Pathologis ſolenne eſt, apud quos vel ad acidum, vel ad humorum acrimoniam vel etiam ad plethoram cauſam proximam referri, quæ tamen ſolam antecedentem conſtituunt, idem eſt, proxima verò ſunt natæ inde ſtaſes aut ſtagnationes ſanguinis, ac humorum, eorúmque motus perturbati, aut vitioſi, ùt de vitiis illorum fuſiùs docebimus, in quibus convenienter removendis tollendíſque, & non in cacochymia corrigenda, aut acore vel aciditate emendanda occupata eſſe debet Medentis induſtria, ni perperam aut præpoſterè velit ſuas curas inſtituere, ad id ergò principaliter intenta ſit oportet, ut dictas ſtaſes priùs impediat auferátque, ac deinde ad extinquendam acrimoniam, acidum deſtruendum, aut plethoram imi-

minuendam procedat. Res declaratur exemplô, quod in menſium vel Hæmorrhoidum ſuppreſſione ponimus, quo in caſu, niſi quis ad ſtaſes ſanguinis reſolvendas, diſcutiendáſque primam curationis rationem dixerit, deinde etiam ad cauſas harum antecedentes attenderit, is certè mirum quantùm à ſcopo ſuo aberrabit, ſi veró, ùt debet, ad has omnes reflexerit, pro voto rem ſuam conficiet, ægrúmque ſanitati feliciter reſtituet.

QUÆSTIO II.

De Rebus non Naturalibus, ùt morborum cauſis externis in ſpecie.

SUMMA.

1. *Qualiter ad morborum generationem concurrat aër? 2. Qua ratione cibus potúsque fiat horum cauſa? 3. Qualiter motus & quies? 4. Somnus & Vigiliæ? 5. Excreta & retenta? & 6. Demum animi pathemata?*

§. 1.

Ex rebus non naturalibus & quidem neceſſariò nos afficientibus aër ambiens primus eſt, in quo neceſſariò vivimus, quippe pro ſanguinis circulatione, ejúsque rarefactione ac ſpirituascentia, uti in Phyſiol. de reſpirationis fine docuimus, debitè promovenda continuò hauriendus eſt, atque corpora noſtra ſuis qualitatibus mirè alterat, ac immutat. Inevitabilem hujus ad ſuſtentandam animantium vitam neceſſitatem, tum propter vim ac gravitatem, quâ pollet, tum etiam propter ſimpliciſſimum & agiliſſimum principium æthereum quod ab aliquibus, ùt ſuo loco dictum pro anima ac ſpiritu habetur, cujus vehiculum aër eſt, dudum agnovit, & ſatis prodidit ipſe Hippocrates noſter L. de

ſtat

ſtat §. 4. ita de eo differens : *aërem in omnibus, quæ corpori accidunt, maximum eſſe, & Authorem & Dominum, cujus potentiam diligenter perſpicere oportet.* cui ſimilis eſt locus alius eodem Libr. §. 6. ubi pariter dicit, *mortalibus vitæ & morborum ægrotis aërem eſſe authorem, & ob eum inquinamentîs plenum, quibus humana natura offenditur, homines ægrotare.* Neque ulli ignotum eſſe poteſt, aëris mutationes parere ac inducere morbos varios Epidemicos, ſimplices ac malignos in certa anni tempora incidentes. Atque hinc ſingulis anni partibus, uti ſcimus, ſui morbi ſunt, de quibus rurſus Hippocr. L. aphorism. ſection. 3. ab aphorism. 4. uſque ad 16. & à 20. ad 23. calidus enim calefacit, humores fundit, ac diſſolvit, bilem auget; frigidus refrigerat, humores incraſſat, poros claudit; humidus humectat, atque ita humores ſuperfluos cumulat, qui ſi caliditati jungitur, maximè ad putredinem diſponit; ſiccus demùm exſiccat, humores acuit & ſalia prædominari facit. Unde certè colligitur, majorem in aëre eſſe vim ad immutandum corporis noſtri habitum, quàm in victûs ratione, ſiquidem aër reſpiratione attractus non modò intra pulmones recipitur, atque exterius corpus noſtrum ambit, ſed etiam alimentis permixtus, ad ipſum ſanguinem tranſit, qui dein in pulmonibus, tam vi ſua elaſtica magis aucta, quàm gravitate quam habet naturaliter, circulantem per illos ſanguinem juxta dicta propellit, urget, ac promovet, eúmque torpidum jam ac motui ineptum circumagendo ſuo circulo reſtituit, ſuáque virtute expanſiva partium ſolidarum motus excitat, ad extra verò eandem in æquilibrio quaſi conſervat, ut adeò mirum non ſit pro diverſa aëris conditione, de qua L. 4. plura, & animi & corporis robur vel augeri, vel imminui. Specialiter autem aër, ſi venenatîs exhalationibûs gravidus ſit, aut ſyderum infauſtîs influentiîs infectus, corpora noſtra inquinat ac inficit, ex quo morbi peſtilentes & contagioſi oriuntur, cujus rei, ſi aliud non haberetur ſufficiens exemplum, olim dedêre Marci Antonii milites, ùt narrat Schenkius L. 7. de venenis, cùm enim auri ſpe allecti in Seleucia Babyloniæ arculam Avidii Caſſij aperuiſſent, tam pútris aura inde exhalavit, ut non eam ſolùm Regionem peſte infecerit, ſed ventîs in Græciam, deinde Romam delata magnam hominum partem ſuſtulerit: tanta nimirùm vis

eſt

eſt aëris per cuncta rerum meabilis. Et profectò plurimùm eum poſſe in conſervanda hominum vita ac ſanitate non tantùm Modernis, ſed etiam Veteribus certò perſpectum eſt, adeò quidem, ut ſi horum præprimis autem Hippocratis noſtri monumenta inſpiciantur, ſatis exinde conſtet, illos aërem ſeu ætherem potiùs pro anima habuiſſe, ùt ſonat clariſſimus ejus textus L. de ſanitate tuenda: *Calore continetur anima, quâ vivimus;* quod adhuc pluribus ex eodem petitis, ſi opus foret, poſſet confirmari.

§. 2. Secunda inter res non naturales, quatenùs externam morbi cauſam ſuſtinet, & eſt cibus, potúsve, qui ſicuti moderatè ſumptus nutritionis beneficiô ùt ſuo loco diximus, corpus noſtrum reficit, ita gula ac intemperantia omnium propè morborum mater eſt, & ùt quidam facetè dixit: *Medicorum nutrix.* Hoc revera eſt, cui tot cruditates, atque exinde tot viſcerum obſtructiones, tantæ pravorum humorum colluvies ac congeſtiones, tam variæ ac contagioſæ natæ inde putredines, & intemperies, corporis demum, omniúmque actionum immutatio aut perverſio principium ſuum debent, éſtque ſatis certum præcipuam cauſam, quare tam pauci juſtam ætatem attingant, ſed ante ſenectutem moriantur, eſſe errores in victu, unde non ſine ratione ortum proverbium: *Gula plures occidit, quàm gladius.* Quemadmodùm autem exceſſus in cibo potúque ſeu gula uti diximus varios ac graviſſimos morbos parit, ſic pariter defectus aut inedia longior plurima homini mala acceſſere poteſt; hæc quippe non ſolùm bonos in corpore ſuccos abſumit, ſed etiam pravos, ſi qui adſint, humores exagitat, hinc in Bilioſis febres, in Melancholicis vigilias, terrores, ac metum, in pituitoſis verò varias deſtillationes ac catarrhos ſuſcitat, ac producit. Nunquam tamen nimia repletio majori cum periculo jungitur, quàm apud illos, qui per diuturnam inediam preſſi ac debilitati ſunt, ubi plures poſt hanc nimis fortiter paſtos ſibi mortem acceleràſſe præprimis conſtat ex Practicorum obſervationibus, prouti ſpeciatim teſtatur Foreſtus L. 18. obſ. 2. in ſchol. ita ſcribens· *Nota eſt multorum hiſtoria, qui ex longa inedia ſe ſe repleverunt, adeò, ùt inde ſuffocati fuerint.* Sic novi & ego hic loci virum nobilem provectioris jam jam ætatis, qui ex omnimoda per integras tres

L dies

dies ab omni cibo potúque abſtinentia, victu poſtmodùm pleniori ſe ſe replens vix ſervari potuit, ne mortem incurreret: Hinc legimus etiam id præcipuè contigiſſe, plurimósque ſibi mortem accerſiiſſe, in urbibus obſidione preſſis, quando cives ab hac liberati cibo potuíque liberaliùs indulſerunt. Neque inſolitum eſt, milites ex caſtris ſecedentes atque lautiùs paſtos in febres peſſimi moris incidiſſe.

§. 3. Aërem dein, unàcum cibo & potu ſequitur motus & quies, quæ quantùm ad ſanitatem faciant, quámque neceſſariò ad eàndem concurrant, ipſa teſtis nobis eſt experientia. Exercitationem in ſpecie tanti feciſſe legitur Galenus, ut ab ea in ſanitatis conſervandæ cautione ab ea inchoandum, conceptis verbis expreſſerit: *à ſanitatis tutela* (ait L. 2. de tuenda ſanitate) *à labore eſt auſpicandum &c.* Interim tamen non omnis motus & labor exercitatio dici meretur, ſed ille tantùm, qui vehementior eſt, ac anhelitum alterare poteſt, quæ exercitatio etiam quoniam varia eſt, varias quoque partes potiſſimùm exercet. Quòdſi autem motus aut exercitatio nimìs vehemens ſit, modúmque excedat, non ſolùm ſolidarum partium ſubſtantiam exhaurit, ſed & humores ac ſpiritus exagitat & diſſipat, totúmque corpus refrigerat, ac enervat, muſculorum nervorum, ac ligamentorum robur diſſolvit, membranáſque interdum adeò laxat, atque diſtendit, ut cedant partibus quas continent, ùt in herniis ſæpè obſervatur, quin minores non rarò venas in pectore rumpit, ex quo ſanguinis ſputum ac phtiſis, atque maſſam ſanguineam quandoque in febriles omninò ebullitiones præcipitat. Eadem eſt ratio quietis, quæ ſicuti ad conſervationem ſanitatis pariter ſummè neceſſaria eſt juxta illud Poëtæ:

Quod caret alterna requie durabile non eſt,
Hæc reparat vires, feſſáque membra levat.

ita etiam ſi exceſſerit, diggeſtiones vitiat, ſecretiones impedit, atque ita excrementa omnis generis cumulari facit, ex quo corpus frigidius redditur, calor ejus penè extinguitur, ſpiritus ſupprimuntur, totúmque corpus torpidum, & languidum, atque ad labores obeundos ineptum, iiſque omnibus morbis obnoxium efficitur, qui ex humorum ſtaſi, viſcerum infarctu aut obſtructionibus ſpirituúmque animalium torpore oriuntur, quod expertus eſt Myndirites ille ſybarita apud Senecam L. 2. de ira c. 25. qui adeò

adeò in mollitiem, otiúmque delapſus eſt, ut, cùm vidiſſet foſſorem altiùs ſuum raſtrum elevantem, laſſum ſe fieri conqueſtus ſit, illúmque hoc in ſuo conſpectu facere prohibuerit.

§. 4. Motum ac quietem modò excipit ſomnus cum vigiliis, inter res non naturales, quæ cauſarum morbificarum externarum naturam ſæpiùs induunt, nam ſi & iſta modum excesſerint, malum juxta ipſius Hippocr. effatum ſect. 2. aphor. 3. ſomnus etenim immoderatior, cùm crudos ac pituitoſos humores omníſque generis impuritates ſuperfluas coacervet adhuc magís, quàm quies ipſa à fortiori etiam prædictos effectus edit, adeóque ſpiritus ſupprimit, obſcurat, ac offundit, omnésque ſenſus tam in-quàm externos torpore ac languore hebetat, ac corporis noſtri actiones infringit. Quod verò ſpectat vigilias immodicas, eæ pariter ſpiritus diſſipant, ac exhauriunt, proinde ſenſus obtundunt, coctiones impediunt, cruditates gignunt, bilémque accendunt phreniticidis, ac ſimilium aliarum febrium morborúmque acutorum matrem fæcundam, ſanguini ac humoribus reliquis fluiditatem debitam auferendô, eorúmque ſpirituaſcentiam deprimendô. Quid ſomnus propriè ſit, & quòd per eum cum Fernel. L. 1. Pathol. c. 17. communíque Medicorum ſententia ſensûs, omníſque functionis animalis ceſſationem intelligamus aut feriationem, in qua non modò ſicuti in quiete, nervi, Muſculi, artúſque, ſed & cerebrum, & ſenſus omnes conſopiri ſolent, ut ita ſomnus, ſi naturalis fuerit, omnium quaſi perfugium laborum, requies animi, pars humanæ melior vitæ exiſtat, alibi dicemus.

§. 5. Cæterùm, cùm ad corpus noſtrum debitè alendum, atque inſtaurandum prout de nutritione in Phyſiol: diximus, alimentô opus ſit, atque non totum in ſubſtantiam aliti cedat, ſed ſemper aliquid excrementi ſuperflui, ac inutilis, conſequenter è corpore jugiter eliminandi ſimul generetur, eliminationem aut evacuationem ejusdem à natura inſtitui neceſſe eſt, & quidem vel per alvi dejectionem, vel per urinæ è renibus & veſica profluvium, vel per ſudorem, ac univerſi corporis exhalationem aut inſenſibilem tranſpirationem, vel etiam bilis è ſuo folliculo per ductum Choledochum in inteſtina effuſionem, tanquam, ſecretiones naturæ legibus ad vitam neceſſarias, licèt &

aliæ ſint, quæ quidem non ſemper ac ſimpliciter, ſed vel in tempore vel ex conſuetudine neceſſariæ, ùt hœmorrhoidum aut menſium fluxus, muci è naribus ac palato, ſputi è pectore, lactis è mammis &c. excretio. Horum omnium intempeſtiva ſuppreſſio, ac retentio, vel etiam parcior, aut largior, & non qualis aut quando fieri deberet, facta excretio, morborum cauſa evadit evidens, non ſolùm enim evacuationes naturales ac neceſſariæ, ſed etiam artificiales & non neceſſariæ, ubi modum excedunt, ùt & omnes aliæ, humorum etiam bonorum ac laudabilium v.g. ſanguinis per nares, aures &c. largior effuſio vires exſolvunt, corpus debilitant, & atrophiam, tabem hecticam, Cachexiam aut Hydropem inducunt, quemadmodùm à contrario, ſi illud retinetur, quod ex corpore naturaliter excernendum eſt, in humoribus facilè putridæ ac mali moris febres accenduntur, aut catarrhi, rhevmatismi, Diarrhææ, Hydropes, affectus ſoporoſi aliique plures Chronici, ac periculoſi morbi generantur.

§. 6. Ultimò inter res non naturales ceu cauſas morborum extrinſecas veniunt animi pathemata, in ratione, ſub qua hic conſiderari debent, certè non poſtrema. Quid ac quales ſint, diximus in Phyſiol: fuſiùs, quantùm autem poſſint, ſi naturæ limites transcendant, in generandis morbis hoc loco exponendum erit. Zeno Stoicorum princeps iſta apud Valeriol. c. 14. Loc. com. Libr. 3. averſas, & à recta ratione contra naturam animi commotiones appellat, quæ revera ita perturbant aliquando mentem, ipſúmque corpus tam potenter alterant, ut nihil magis, ipsáque venena ſint illis agendi vi in vitam hominis longè inferiora, utùt validiſſima aliàs atque actuoſiſſima, quatenùs illa nempe humores, ac ſpiritus violentius in cerebro commovendo, ac per vires ex eodem in nervos explodendo, aut ipſos quaſi figendo, & incarcerando actiones corporis noſtri, & motus omnes ſubitò deſtruere, ac pervertere, adeóque in magnas mutationes ac periculoſiſſimos ſæpè morbos præcipitare, imò mortem ipſam inſtantaneè quaſi afferre ſolent, quod confirmat exemplum à Scaligero exercitat. 312. ad finem relatum de viro quodam juvene, qui ex mœrore intra paucas horulas canitiem contraxit, atque unica nocte ſenex effectus eſt. Ita & Mater illa apud

apud Livium, cùm filium ſuum ex bello reducem videret, quem in acie cecidiſſe crediderat, gaudio extincta legitur, ut ita Galenus in arte medicinal. c. 85. rectiſſimè moneat, aut potiùs præcipiat, ut ab ipſis animi affectionibus careamus, quia corpus noſtrum alterant, & à naturali ſtatu evertunt, prout teſtatur inſuper quotidiana experientia. Verùm de his omnibus, eorúmque efficacia in ordine ad morborum generationem plura, ac ſpecialiora dabimus in L. 4. Inſtitutionum, ad quem tam de rebus non naturalibus corpus noſtrum neceſſariò afficientibus, quàm contingenter ac fortuitò eidem ſupervenientibus, quatenùs morborum cauſæ fiunt, fuſiùs tractantem Tyronem Medicum ablegamus.

QUÆSTIO III.

De Plethora ùt morborum Cauſa Interna in ſpecie.

SUMMA.

1. Quot modis humores fiant morborum cauſæ? 2. Quid Plethora ac quotuplex? 3. Stabilitur facta in Plethoram ad vaſa ac vires diviſio? 4. Quæ utriúsque ſigna ſint ac indicia? 5. Qui ſint effectus ejus morboſi? 6. Quodnam ſit vitium Plethoræ oppoſitum? 7. Quando detur?

§. 1.

EX præcedentibus novimus, humores potiſſimum internas morborum cauſas fieri, fiunt autem tales, quatenus 1. ij ùt boni ac naturales in quantitate p. n. excedunt. 2. In quantùm illi prava aliqua qualitate vitiantur, ac p. n. exiſtunt, ubi Veteres quàm maximè duplicem morborum materiam ac cauſam ſtatuentes, alteram ſcilicet nimiam ſanguinis etiam laudabiliter

conſtituti abundantiam plethoram, hujus verò aliorúmque humorum impuritatem cacochymiam appellârunt, hodiéque ita appellamus. 3. Fiunt humores morborum cauſæ quatenùs motu peccant, atque hinc inde in corpore ſtaſin concipiunt. 4. Cauſas etiam agunt morbificas quoad ſitum. Primum ex his vitium ab Antiquis à ciborum Evchymorum, & qui bonos ſuccos ſuppeditant ingeſtorum copia fuit derivatum, alterum econtra qualitati illorum, qui malos ac intemperatos generant in corpore humores, adſcriptum fuit. Atque hæc duo priora humorum vitia, quæ nos non tantùm ex ingeſtorum laudabilium ac pravorum ratione deducimus, ſed vel maximè etiam ab excretionum defectu tanquam cauſa eadem proficiſci arbitramur, internas eásque mediatas ac antecedentes, poſteriora verò, utpote quæ ab his ceu effectus dependent immediatas ac proximas morborum cauſas conſtituunt, quamvis inter cauſas internas plethora etiam ac cacochymia non ſolùm cauſæ antecedentis, ſed etiam continentis naturam non raró induant, de quibus omnibus ex ordine plura adducemus, modò priùs plethora univerſalior & maxima inter dictas cauſas morbificas accuratiùs fuerit examinata.

§. 2. Eſt antem plethora Græcis dicta, ut pleniorem definitionem afferamus, cùm debitam ejus notitiam habere utpote cauſæ morborum maximæ non parùm interſit, maſſæ ſanguineæ, ſeu humorum alendo corporis utilium ac deſtinatorum nimia quantitas ſeu redundantia in vaſis univerſi corporis, ex quo patet, non omnem abundantem, ac copioſum ſanguinem plethoram dici poſſe, ſed eum tantùm, qui officit & lædit actiones, & maximè, qui liberiorem ſanguinis circulum impedit, ac vitiat, dantur enim ſæpè homines, qui ingentem in corpore quadrato ſanguinis copiam alunt ac continent, citra ullam ſanitatis offenſam, quin imò vegetiores ſunt aliis, qui modo contrario ne dimidiam quidem ejus quantitatem habent, & tamen peſſimè ſe habent, indéque læduntur. Hinc Veteres præcipuè eandem duplicem voluerunt, atque unam ad *Vaſa*, alteram ad *Vires* dixerunt. Prior eſt tanta M. S. in vaſis redundantia, ut ipſa diſtenſiora evadant, quandò nempe ſucci boni ſupra juſtam menſuram accumulati venas ſupra modum plenas, ac diſtentas, atque etiam

etiam totam corporis molem tumidam reddunt, aut efficiunt, cujus periculum Hippocr. ſect. 1. aph. 3. his verbis expreſſit: *Bene habita Athletarum valetudo ad ſummum progreſſa, ubi ad plenitudinis extremum pervenerit, lubrica eſt, cùm non poſſit eodem ſtatu permanere neque quieſcere. Quandoque verò non quieſcat, neque etiam poſſit in meliùs progredi, reliquum eſt, ut in deteriùs labatur:* His igitur de cauſis pleniorem illum corporis habitum haud cunctanter ſolvere expedit; ita ille. Poſterior autem illis eſt, quandò plùs adeſt, & continetur ſanguinis, quàm vires ferre poſſint, aut ab earum imbecillitate regi ac moveri queat, licèt vaſa ſanguifera, ac reliqua corporis ſubſtantia nec tumeant, nec ſanguinis copiâ diſtendantur, ſæpè enim fit, quòd etiam mediocris ſanguinis copia viribus gravis ſit ac moleſta.

ſ. 3. Hanc Plethoræ diſtinctionem licèt plures Recentiorum rejiciant, & hinc non aliam, quàm quæ ad vaſa dicitur, admittendam exiſtiment, idque ex hac potiſſimùm ratione, quòd ſi daretur, & altera, neceſſariò ſequeretur, vires ſibi ipſis moleſtas fore, gravésque onere, quod dici non poteſt, ſanguis enim ac vires apud modernos pari paſſu ambulant, attamen hanc ipſam non parùm momenti ac attentionis in praxi mereri, negari non poteſt, ſi conſideretur, prout conſiderari ſæpiùs debet, quemadmodùm enim ciborum copia & abundantia dupliciter intelligi poteſt, nimirum quatenùs vel 1. à nimia eorundem ingeſtione aut repletione ſtomachus ſupra modum diſtenditur, vel 2. quatenùs minor illorum copia aut quantitas à debili aut imbecilli ventriculo digeri ac ritè ſubigi non poteſt, ita etiam res comparata eſt cum ſanguine, in quantùm ejus redundania vel ad vaſa, vel ad vires aut robur conſideratur, ut adeò illa tantùm, ſive priori, ſive poſteriori modo ſpectetur atque æſtimetur, præternaturalis ac morboſa plethora ſit dicenda, quæ liberum ſanguinis circulum, impedit atque retardat ex nimia quippe ſuccorum copia congeſta latera vaſorum nimium diſtendi, eáque ad ſolito majorem diametrum urgeri neceſſe eſt, unde fit quòd iſte reſiſtat, atque ita cordis aliorúmque vaſorum niſum ac elaſticitatem frangat atque imminuat, cùm fibræ, quæ naturæ prorſus elaſticæ ſunt, hac ratione per nimiam extenſionem tandem debiliores eva-

evadant, prout ipſa ſatis commonſtrat experientia, idque ſpecialim in plethora ad vaſa dicta cujus hæc eſt geneſis, prout inter alios Modernos ad captum facillimè ac rectiſſimè explicat Cl. Hoffman. Tantum autem abeſt ut ſanguis, licèt valde affluat, modò ſatis promptè ac expeditè per vaſa propellatur, corpus noſtrum debilitet aut imbecille reddat, quin potiùs illi vigorem addat ac robur, adeóque magis confortet, quam primùm verò incipit à motu ſuo deficere, tunc demum noxius ille eſt, ac morbum minatur. Utraque Plethora æquè frequens ac familiaris eſt, dum illam, quæ ad vires dicitur, ij maximè experiuntur, qui rari, laxi, ac ſpongioſi corporis habitûs ſunt, atque à natura vasîs copioſis & tenuioribus dotati. In alteram verò, quæ ad vaſa datur magis ac faciliùs incidunt illi deinde, qui corpore denſo, fibroſo & ſtricto præditi ſunt, quique vaſa nacti ſunt ampliora ac valde voraces exiſtunt, ubi notandum eſt omnes illos, qui vaſa habent ampliora, & ſtrictioris atque gracilioris ſunt corporis, iis morbus, qui à tardiori ſanguinis circulo oriuntur minùs obnoxios eſſe, quàm qui habitûs ſunt laxioris, turgidi, & ſpongioſi, aut qui corpora habent obeſa, pinguia, ac repleta, cùm motum ſanguinis longè expeditiorem ac promptiorem eſſe in vaſis capacibus quàm anguſtioribus, & ubi fibræ magis tenſæ ſunt, ac renitentes, quàm relaxatæ per ſe ità clarum eſſe videtur, ut ulteriore demonſtratione haud egeat, præſertim ſi etiam, uti ordinariè ſaltem eſt, in ſimilibus corporibus major ſanguinis fluiditas acceſſerit.

§. 4. Statûs Plethorici & quidem Plethoræ ad vaſa plura habentur ſigna ac indicia, quæ tamen alia ſunt in his, & alia in aliis. Sic qui macilenti ſunt, in iis vaſa ſanguifera mirè expanſa deprehenduntur, qui verò ſpongioſi ſunt, illi corpus habent repletum ac turgidum, faciémque præſeferunt coloratam & inflatam. Interim tamen utrique ad motum ac exercitationes inhabiles ſunt, & inepti, quia ſtatim inde fatigantur, & ſi ſuperiora petant, ſcalásque aſcendant, difficulter ſpirant, atque dolorem quemdam, quaſi contuſivum in omnibus membris percipiunt. Profundo inſuper atque in ſomniis pleno plerúmque ac turbato ſomno gaudent, ſimúlque ab aſſumptis calidis, & ſpirituoſis maximè moleſtas turgeſcentias, ac exæſtuationes perſentiſcunt,

tiſcunt, præſertim ubi multùm ingeritur, & corpus interea parùm exercetur. Plethoram ad vires deinde licèt non comitentur, atque ita etiam non manifeſtent, vaſorum diſtenſio, aut ſpongioſus turgidúsque corporis habitus, reliqua tamen de illius præſentia ſatis teſtantur, & maximè ſi morbus aliquis præceſſerit, aut ex inedia, nimia ſanguinis profuſione, vel vehementi eóque diuturniori animi commotione vires amiſſæ fuerint, utpote quæ cauſæ illius ſunt ordinariæ, nam ſi ſolidorum tonus, eorúmque vis elaſtica à prægræſſo quodam morbo, aut alia ex cauſa jam fracta, ac debilior facta eſt, tunc non adeò magna humorum copia aut quantitas, adeóque etiam reſiſtentia tanta ad vim eorum contractivam ac impulſum diminutum neceſſaria non eſt, ut ita potiùs oneri ſit, cauſámque præbeat, ut motus ſanguinis aliorúmque humorum progreſſivus tardiùs procedat, qui vitæ ac ſanitati hominis ſemper ac perpetuò ſummè infenſus eſt. Cùm itaque prout ex dictis conſtat, non ſolùm ex nimia ſanguinis copia aut abundantia, ſed etiam ex virium imbecillitate tardiorem reddi ſanguinis circulum manifeſtum ſit, hinc patet ratio veræ explicationis illius ac diſtinctionis Veterum, quam ùt ùt ſanguinis circulum adhuc ignorarint, Plethoram nihilominùs & & rectiſſimè aliam ad vaſa ac aliam ad vires admiſerunt, quo in ſenſu etiam nos admittendam eſſe cenſemus.

§. 5. Patet ulteriùs ſanguinis nimiam abundantiam, quia vaſa diſtendit, vires premit, ſolidarum motibus reſiſtit, atque ita motum ſanguinis progreſſivum ac circularem retardat, & impedit, plurium, quam in pugnum ſtatim contrahi poſſent, eorúmque graviſſimorum morborum maximam potiſſimùm cauſam exiſtere, ùt in ſequentibus apparebit, quamdiu enim maſſa ſanguinea prout ex Phyſiologia conſtat, etiam copia excedens motu ſuo circulari jugiter agitatur, tamdiu morbis non datur locus, quamprimùm verò illa quacunque demum ex cauſa vel impeditur vel penitùs ſiſtitur, ampla mox malorum ſeges progerminat; & quoniam id in univerſo vaſorum ſiſtemate fieri poſſit, facilè concipitur, eundem adhuc faciliùs impediri ac ſufflaminari, in illis partibus, quæ remotiores ſunt, & per quas de ſe & ex naturæ inſtituto non nihil tardiùs movetur ſanguis: eſt enim rationi conforme, atque ex Anatomia hodiè demonſtratum.

1. Par-

1. Partes, quo remotiores ſunt à corde, hujúsque virtute movente, eò minorem eſſe ſanguinis per illas tranſeuntis motûs velocitatem. 2. Cùm aſcenſus fluidorum ad perpendiculum valde difficiliter procedat, facilis eſt ratio, quare pedes citiùs intumeſcant, quàm aliæ partes, aut ſanguis in inteſtino recto, & colo tardiùs circuletur, ibique facilè ſtagnare ſoleat quod ipſum etiam contingit in vaſis meſeraicis, atque in reliquis abdominis viſceribus; ſcimus námque ex modernorum cultiori Anatomia omnem ſanguinem, qui ex ventriculo, ac toto inteſtinorum volumine, Meſenterio, omento, Pancreate, Liene producitur, per Venam portæ, quæ pulſu ac ſyſtole deſtituta eſt, per innumeros ejus ramos trajici, ac hepati infundi debere, per quæ trajectio iſta, cùm ſegniter fiat, evidens eſt, ſanguinis per hæc viſcera tranſitum ac progreſſum, quia etiam naturaliter tardior eſt, accedente ac præſente Plethorâ facilè retardari poſſe, atque ita ſtagnationes præcipuè locum invenire. Ex iſto deinde ob nimiam ſanguinis redundantiam, ſive per corpus univerſum ſive per partes ejusdem, ac dicta viſcera progreſſu, motúque vitioſo, fit ille inſuper ſpiſſus ac craſſus, quæ facta major ejus craſſities non in parvis duntaxat vâſis, eadem obſtruendo morborum dat, fovétque cauſas, ſed etiam in majoribus, ínque ipſa cordis cavitate, non raró mirabilium coagulationum, quæ quaſi ex meris fibris coalitæ ſunt, ac ingentis ſæpè molis exiſtunt, mater eſt. Maximè verò Plethora, & ex hac tardior redditus ſanguinis circulus viam quaſi ſternit, ac primum ad impuritatem, ac cacochymiam fundamentum ponit, ùt rectè innuit Hippocrates dum L. de ſanitate tuenda ita dicit: *ſanguis cùm abundat, valetudinem vitiat*, quippe quo tardiùs procedit per vaſa univerſim motus ſanguinis progreſſivus, eò minùs ille ſubigitur, atque in tenuiſſimas portiones ac moleculas dividitur, ac diſcerpitur, conſequenter ſpiſſior ùt dictum, evadit, ac tenacior, quo magis autem tenax, lentus, aut ſpiſſus eſt, eò plùs etiam infarcit vaſa, & excretoria obſtruit, quæ ſanguinis impuritatibus ſecernendis dicata ſunt, ac deſtinata.

§. 6. Cognoſcitur autem impurus, & non benè mixtus, aut præter naturam conſtitutus ſanguis ex eo, ſi is per venæ ſectionem emiſſus nimis aquoſus eſt, aut ſerum ejus nimis

co-

copioſum, coagulô rubrô veluti inſula eidem ſupernatante, qualis in hypochondriacis, lienoſis, & cachecticis obſervari ſolet, vel ſi illud pauciſſimum, ſi colore flavum nimis, aut bilioſum fuerit, uti in ictericis, vel cæruleum & lividum in ſplenis affectibus, ac obſtructionibus, album aut lacteum, in iis qui alimenta vel mox ante venæ ſectionem aſſumpsêre, quæ necdum in ſanguinem converti potuerunt, vel viſcerum ſanguinis elaborationi inſervientium debilitate laborant. A naturali non minùs conditione abludit, ubi nigricans ac pici liquidæ ſimilis digitis adhæreſcit, celerrimè concreſcit, concretúsque difficulter finditur, craſſus, ſpiſſus, ac lentus eſt, plurimorum graviúmque ùt diximus obſtructionum & author & comes, ùt eſt in melancholicis; ſic etiam, cùm tardiùs concreſcit, faciliúsque finditur, atque ita tenuis eſt, ut ad bacilli tactum ſtatim diffluat, viſcerum Hæmatoſi inſervientium imbecillitatem indicat: quandò autem multùm variegatus eſt, ac pelliculam ſuperinducit, & mobilem, ſub ea continens ſubſtantiam fibris prorsùs deſtitutam, minúsque cohærentem, &, ſi attactus fuerit, in partes mox diffluentem, is omninò putridus eſt, & ſpecialiter corrupti ſanguinis effectus. Contra ſi in ſuperficie albam viſcidam, ac ſpiſſam glutinis, vel corii cruſtam ruptu ac ſciſſu difficilem obtinet, quæ quandóque etiam denſa diaphana deprehenditur, crudus is eſt, ac ſcorbuticis, iisque qui inflammatione interna laborant, vel ad talem ſaltem diſpoſiti ſunt, familiaris ob portiones ſanguinis fermenteſcibiles, necdum intimè ſubactas, ac debitè mixtas, ſed in ſtatu cruditatis adhuc conſtitutas. Perſpectum enim ex Phyſiol. nobis eſt, ubi de proprietatibus ſanguinis in ſtatu ſano ac naturali conſtituti examen inſtituimus, eundem ex triplici ſpecialiter, eáque valde diſſimili ſubſtantia compoſitum eſſe, quod experimentis facilè oſtendi poteſt, quarum prima eſt tenuis fluida, & aquea, altera ſolida quædam ſubſtantia, eáque dupliciter rurſus diverſa, eoquòd alia ex his in aqua ſolubilis ſit, ac rubicunda, alia verò tenax exiſtat, & colore fuſca maneat, aquâ neutiquam diſſolubilis, quæ ambæ ſolidæ portiones ad invicem comparatæ pondere ferè æquales ſunt, ubi interim ſerum aut portio tenuis fluida & aquea illas longè ſuperat, & in ſano ac laudabiliter conſtituto ſanguine tres ejusdem partes

ſunt ad unam partem ſolidi, quod omne experimentis ſat certis demonſtrari poteſt, ac præprimis facta etiam leni evaporatione cuivis rectè ſtatuatur omnis ille ſanguis impurus & non benè mixtus, qui à dicta debita, ac convenienti naturæ proportione eorum, quæ ſanguinem conſtituunt, juxta factam hic deſcriptionem recedit. Ubi de duplicis generis ac indolis ſubſtantia, quæ in ſolidiore ſanguinis parte conſiſtit ſpecialiter notandum, eam quàm maximè innoteſcere ac evidenter patere in ſanguine per venæ ſectionem in pede emiſſo, atque in aquam tepidam immiſſo, brevi enim temporis ſpatio aqua tota colorabitur, in fundo verò hærebunt albi, viſcoſi tenaces ac ſpongioſi flocci, qui interdum præſertim quando plethora ſubeſt, in tam firma coagula abeunt ex fibris ac membranis, ut nullo modo aquâ ſolubiles exiſtant ampliùs, juxtà quæ nemo jam dubitare poterit, hæc ipſa ex tardiori ſanguinis motu progreſſivo ac diminuta ejus diviſione, & ſubactione producta eſſe, atque etiam uberem infarctuum, obſtructionum, ac concretorum, quæ polyporum formam referunt, materiam causámque ſuppeditare.

§. 7. Quemadmodum autem ſanguinis ùt vidimus, redundantia, aut nimia ejus copia maximam ruinam ac pernitiem corpori noſtro minatur, dum illud, ſanguinis circulum ſufflaminando, tam gravibus morbis obnoxium reddit, ita etiam alterum ejus vitium, ſcilicet magna copia aut inopia vel defectus, qui quidem apud Recentiores nullo nomine ſpecialiter inſignitus legitur, hunc ipſum motum, aut progreſſivum illius impediendo ſanitati officit, & periculoſas æquè ſtagnationes, à quibus ſecundùm Hippocr. aphoriſmum 39. ſ. 6. graves ſpaſmi partiúmque reſolutiones oriuntur, producit, nam ex copia, non minùs, quàm inopia, ſi modum excedant nimiùm, proportio humorum ad tuendam ac ſervandam valetudinem ſummè neceſſaria tollitur, quà ſublata mox proportio, & æpuilibrium motuum læditur, propter quod ſtagnationes illorum incidere neceſſe eſt, quæ in locis valde nervoſis, partes corporis ſtatim ad ſpaſmos ſollicitant, nihil enim familiariùs accidit, quàm quòd amiſſo & nimiùm exhauſto per morbos exantlatos vitali nectare vel poſt enormem ſanguinis profuſionem aut hæmorrhagiam, vel largiorem ſanguinis miſſionem vel inedias exoticas, aut graviores ani-

mi

mi affectus, ùt priùs etiam de plethora ad vires animadvertimus, corpora exhauriuntur viribûs ita, ut levi alia cauſa accedente in ſummas inde anguſtias, anxietates, animi deliquia, cordis palpitationes, tremores atque motus ſpaſticos coniiciantur, ut patet ex vena animalis aperta, ex qua ingens ſanguinis copia emittitur, ubi ſtatim convulſiones ſuccedunt ita, ut quò major, ac longior fuerit facta profuſio, eò intenſiores ac vehementiores etiam ſequantur motus convulſivi, qui tandem circa mortem fiunt vehementiſſimi, cujus ratio non ſubeſt alia, quàm quòd ingenti ſanguinis copiâ extracta ac deperdita, affluxus ejus qui reliquus eſt in vaſis non ſufficiat ampliùs ad cordis muſculum pro diaſtole hujus aut dilatatione debitè continuanda, minuitur illius vigor; qualis verò diaſtole, talis etiam eſt ſyſtole ſive contractio cordis, conſequenter, ſi hæc debilior reddita ſanguinem in vaſis remotoribus præſertim capillaribus exiſtentem ſat fortiter propellere, atque in ſuum circulum agere nequit, in partibus membranoſis ac nervoſis capitis & medullæ ſpinalis ſtagnans, illas ad convulſiones ſollicitat. Accedit, quòd juxta explicationem Cl. Hoffmanni motus ille contractorius, qui ineſt nervoſis ac membranoſis partibus, & à ſpirituum animalium influxu ſuſtentatur, à reſiſtentia ſanguinis, qui per vaſa rapitur, in æquilibrio ſervetur, quod ſanguine ita longè profuſo plane tollitur, ex quo contractio in partibus illis neceſſario increſcit, ad motus enim temperatos, ac ſanitati congruos ſanguinis ac humorum proportio, ſicuti maximè neceſſaria eſt ad id, ut nimiæ fibrarum aut contractioni à ſpiritibus animalibus inductæ reſiſtant, ita viciſſim requiritur ſummoperè, ut ſufficienti, ac debito illorum influxu perfundantur, ne nimia fiat fibrarum ab ipſo ſanguine expanſio ſed exacta per eum ſyſtolen inter ac diaſtolen proportio & æquilibrium conſervetur.

QUÆSTIO IV.

De Cacochymia ùt morborum Cauſa interna in ſpecie.

SUMMA.

1. Quid Cacochymia? 2. Quotuplex ea? 3. Quid Cacochymia amara, & qualis? 4. Quid & qualis acida nobis? 5. Quid inſipida, ſeu dulcis? 6. Seroſa quid? 7. Quæ ſint cauſæ Cacochymiæ amaræ & acidæ? 8. Quænam inſipidæ, & ſeroſæ? 9. Quales ſint effectus iſtarum Cacochymiarum? 10. Quis ſit nexus Cacochymiam inter, & Cacochyliam, atque Cachexiam? 11. Quis ſenſus nonnullorum Recentiorum de cacochymia acida ſpeciatim? 12. An rectè de hac ita ſentiant?

§. 1.

CAcochymia, quod idem ſonat, ac ſi redundantiam pravorum, aut vitioſorum humorum diceres, eſt principaliter ſanguinis, deinde & aliorum humorum inde oriundorum v. g. ſeri illius, aut lymphæ Craſis ſeu temperies præter naturam vitiata, & ad uſus in corpore humano præſtandos inepta à particularum ſalino-ſulphurearum harmoniâ deturbata, alterata, aut mutata dependens. Redundant autem vitioſi humores vel in ipſis vaſis, vel in aliis etiam corporis partibus: In vaſis redundant, ſi vel M. S. in iisdem corrumpatur, aut putreſcat, vel ſi ſanguis nimis bilioſus, aeris, pituitoſus, melancholicus, aut ſeroſus evadat, ita, ut ad debitam corporis nutritionem ineptus exiſtat. Extra vaſa vitioſi humores cumulantur, & generantur, ſi ij, qui aliàs veluti excrementitii naturales eliminari debent, ùt bilis in veſicula fellis ſecreta, pituita in ventriculo, ac inteſtinis ſeparata, quantitate vel qualitate peccant, aut alii quicunque in corpore p. n. coacervati

vati in viſceribus ac cribris ſanguinis depurationi & ſecretioni inſervientibus, aut vaſorum lymphaticorum tractu detineantur. Lucem iſtis majorem afferent, ſi repetantur, & referantur huc ea, quæ de temperie naturali ac temperamentis in Phyſiologia diximus, & in ratione oppoſita huic definitioni exactè reſpondent. Intelligitur itaque hîc per Cacochymiam in genere principaliter ſanguinis, ùt dictum, deinde & reliquorum humorum ex eo provenientium vitium, unde rectè Sinapius in ſuis Paradoxis Medicis ait: ſi intelligamus per cacochymiam quamcunque ſuccorum corporis noſtri pravam conſtitutionem diſpoſitionem, ac exceſſum acidi, ſalſi, viſcoſi, acris, tenuis, intemperati &c. datur in ſenſu ſano Cacochymia, hoc enim, & nil aliud vox iſta indigitat, ùt ex ſequentibus apparebit.

§. 2. Ratione humorum, quibus ea ineſſe poteſt, aliqua quidem Cacochymiæ differentia exurgit, ùt ex data priùs definitione conſtat, quare aliquibus alia eſt ſanguinis, alia ſeri, atque alia lymphæ &c. quia tamen ex chylo, ac ſanguine reliqui humores omnes pronaſcuntur, conſequenter quales iſti, tales erunt & alii inde oriundi, hanc diſtinctionem non adeò attendendam eſſe exiſtimamus, ùtùt ſint ex Modernis, qui in eam etiam ſollicitè inquirant. Omninò verò attendenda non erit ampliùs illa, quam Galenici faciunt pro varietate humorum, eorúmque quaternione in ſenſu ab ipſis intento, ùt patet ex iis, quibus in Phyſiol: illius exiſtentiam refutavimus. Eſt autem maximè celebris, ac ſummæ conſiderationis hodiè ea Cacochymiæ diviſio, quæ à ſaporum diverſitate petitur, atque à parte rei multiplex ac penè innumerabilis exiſtit non ex Recentiorum primùm cerebro prognata, ſed genuina ipſius etiam Hippocratis doctrina ſtabilita, prout graphicè nobis deſcribit L. de natur. homin. text. 31. ac præſertim L. de priſc. Medicina hoc modo: *Ineſt verò in homine & amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum, & fluidum & alia infinita omnigenas facultates habentia, copiámque & robur, atque hæc quidem mixta, & inter ſe temperata, neque conſpicua eſſe, neque hominem lædere, ubi verò horum quid ſecretum fuerit, tunc & conſpicuum, & hominem lædere*, ait. Communiter nihilominùs & commodè à Neotericis plerisque ad quatuor claſſes generales ſcilicet ad amaram, acidam, inſipi-

ſipidam, ſeu dulcem, ac ſeroſam reducitur tota, ut ita ſub hac ratione in corpore humano duo potiſſimùm conſiderandi ſint humores, chylus nempe ac ſanguis, & in his duobus particulæ ſalinæ acidæ & alcalinæ veluti duo naturæ inſtrumenta, quibus utitur mechanica, harúmque fixitas & volatilitas unàcum ſero tanquam communi omnium vehiculo. Atque infinita hæc, ùt Ettmüller. in citata Hippocratis verba rectè advertit, ſub infinita ac ſpeciali cauſarum morbificarum differentia ſe unicuique offerunt, dum in ſingulo morbo & morbi cauſa ſpecialis peccat ſapor, qui non niſi per remedium huic vitioſo ſapori in ſpecie adverſum, eúmque corrigens, & ob id ſpecificum dictum corrigendus, & emendandus eſt, ubi tamen, advertente rurſus Ettmüllero, non ipſi ſapores, qui particularum attributa ſunt nobis tantùm reſpectiva, ſeu reſpectu noſtrorum ſenſuum præſertim guſtûs talia, in ſe ſpectati morbificarum cauſarum vices ſuſtinent, ſed ea, quorum ſunt ſapores, cùm enim talia â priori ſint incognoſcibilia, rectiùs per ea nobis concipiuntur, & explicantur, per quæ ſe nobis potiſſimùm manifeſtant.

§. 3. Ex modò dictis *Cacochymia amara*, ſeu ùt antiquitùs dicebatur bilioſa nobis eſt, ac datur, quandò particulæ ſalino-ſulphureæ in corpore humano p. n. redundant, aut ſanguinis & bilis principium alcalino-ſulphureum ſeu oleoſum excedit, atque vel fixum nimis redditur, vel volatile, ut vel amarore, tenuitate, ac fluxibilitate intendatur, inque motus effrænes concitetur, vel etiam ob inertiam aut craſſitiem hinc inde in corpore ſtagnans cumuletur. Poteſt ergò bilis, quæ in ſtatu naturali juxta nos alcalina ac oleoſa ſeu ſulphurea eſt, variis ex cauſis, ac variis modîs peccare, atque ita non tantùm nimiùm abundare, vel deficere, ſed etiam in quali vitiari, ſive dein conſideretur, prouti ſanguini mixta eſt, aut ſupernatat, vel ab eodem omninò ſeparata exiſtit. Aliqui quidem ex Recentioribus cum Ettmüllero cacochymiam amaram aliter, atque per acidum volatile oleoſum alcali volatili plùs minùs ſaturatum explicandum contendunt, quorum tamen explicationem, cùm univerſalem, de qua poſtmodùm, Acidiſtarum Cacochymiam ſapiat, repudiamus, alios hoc in paſſu Auctores Claſſicos ſecuti; vel enim intelligendum illi volunt, abſolutum principii alcalino-

ſul-

ſulphurei prædominium, vel acidi volatilis exuperantiam? ſi priùs, à nobis non diſſentiunt, ſi poſteriùs, tunc Cacochymia iſthæc erit abſolutè, ac ſimpliciter acida, non amara dicenda. Interim benè obſervanda eſt animadverſio Frid. Hoffmanni, qui vult, bilem pro noſtro aëre, ac vivendi ratione non facilè prædominari ſeu copia, tenuitate, & principio alcalino peccare, cùm ùt plurimùm eſus apud nos acidi ac viſcidi peccet, per quem magis præternaturales in ſanguine fermentationes ac effervescentiæ concitantur, ſimiles in effectu illis, quæ à vera bile prædominante oriri creduntur, quamvis negari haud poſſit, aliud contingere ac revera fieri in Regionibus calidioribus, in quibus ob contrariam aëris victûsque rationem rariùs obſervatur acidi præternaturalis exorbitantia, benè autem bilis effrænis abundantia.

§. 4. *Acida* dein *Cacochymia* illa eſt, ubi humores acidi, vel potiùs ſalia in his acida prædominium obtinent, & in gradu eminentiori, quàm naturaliter requiritur, adeſſe obſervantur. Eſt autem illud, quod ita prædominari poſſe ſtatuimus in humoribus acidum ob particulas ſui generis iisdem plùs minùs commixtas ac implicitas vel volatile, vel fixum aut terreſtre, pro quarum varietate Cacochymia iſthæc multipliciter rurſus variare ſolet in Recentiorum ſyſtemate, ſecundùm quos aliud eſt, quod peccat in malo hypochondriaco aut paſſione hyſterica, aliud in ſcorbuto, aliud in lue Venerea, aliud in Colica, & aliud in aliis affectibus. Si volatilius illud ſit, exurgunt illæ Cacochymiæ ſpecies, quas Veteres olim bili adſcripſerant, & vitellinam, porraceam, æruginoſam, aut Iſatodem ſeu glaſteam inſtàr braſſicæ tinctam, adeóque peſſimam dixerant, quia ad atræ bilis naturam proximè accedit; ubi verò acidum fixum terreis particulis plùs juſtô implicitum exuperat, melancholica oritur Cacochymia, quæ pro ſimplici ſaporum, aliarúmque proprietatum diverſitate diverſam denuò denominationem ſubit, ita quidem, ut jam nitroſa, aut vitriolica, jam aluminoſa, auſtera, pontica, rancida, jam alia ſingularis dicatur. Nulla autem ex his omnibus eſt in ſe calida, ſed natura ſua frigida, eò quòd ex genere acidorum omnia ſint hæc humorum vitia, conſequenter non ex majori vel minori juxta Antiquorum mentem aduſtione, quod

N oſten-

oſtendi poteſt 1. ex remediis iſtarum Cacochymiarum correctivis, quæ cuncta ex amarorum ac calidorum, minimè verò acidorum claſſe ſunt; ſic bilis flava viſcida vitellina porracea Antiquis ſic dicta ac ſimiles aliæ in febribus intermittentibus, ac continuis etiam pluribus peccare, cauſæque ſaltem antecedentis mediatæ vices ſuſtinere ſolent, ùt probat experientia, dum per vomitum vel arte vel naturæ conatu inſtitutum quandoque maxima ejus copia rejicitur, ubi nihil æquè juvat, ac ipſa amara calida alcalina, tam volatilia, quàm fixa, quod uno ore omnes Practici ingenuè teſtantur. 2. Evidenti experientiâ, per quam rurſus compertum habemus, quòd, ſi bili bubulæ recenti acetum deſtillatum admiſceatur, ea paulò poſt mixtura vitellinæ bili adeò ſimilis appareat, ut nihil magis, quod ipſum pulchro ſpectaculo exhiberi poteſt, ſi eidem ſpiritum vitrioli, aut nitri, vel aquam fortem addideris, ubi mox quoad virorem, ac viſcedinem bilis porracea præſentabitur. Ad quod evincendum ſervit porrò illud etiam experimentum, quo ſaburræ bilioſæ per vomitum rejectæ alcali quoddam v. g. oleum tartari per deliquium affunditur, ubi maſſa quamprimùm fermentari ac tumultuare incipiet, non aliter, ac ſi mixturæ ex bile & acido conſtanti oleum tartari aut alius liquor alcalinus fuiſſet affuſus.

§. 5. *Cacochymia inſipida*, ſeu dulcis juxta Hipporatem, Galenis olim pituitoſa dicta eſt redundantia portionis chyloſæ, ſeu particularum viſcidarum, tenacium, ac pituitoſarum talis, per quam ſanguis ac reliqui humores & ſucci corporis noſtri intra vaſa ſua contenti vitioſi redduntur. Eſt ea immediatum chyli erratum, quod dupliciter fieri poteſt, nimirum vel in quanto, dum ille nimiùm copioſus generatur, atque ita coacervatur, aut præter naturam in corpore cumulatur, vel in quali, cùm nimis viſcidus, aut mucilaginoſus de ſe, ſeu pituitoſus exiſtit, unde minutiæ activæ, & portiones ſalinæ atque ſulphureæ ſpirituoſæ aut omninò deficiunt, aut ita irretiuntur, ut ſeſe prodere, vímque ſuam exerere amplius nequeant, ex quo fit, quòd in ſanguinem debitè converti haud poſſint, ſed viſciditate ac tenacitate ſua eundem vitiant, ut in partium nutriendarum porulis tantùm hærere, eóſque ſolùm infarcire debeant tanquam inepta pro earundem nutrimento ſubſtantia. Quæ tamen

men nolim ita ſtrictè intelligantur cum Sennerto, quaſi chylus etiam bonus ac laudabilis ſola nimietate ſua aut abundantia ſanguineæ maſſæ confuſus improportionem ei, ac diſcraſiam inferat, quin neceſſe ſit, eum etiam in qualitate vitiari. Neque exiſtimandum eſt, pituitam vitream à Galenicis ob ſuam pelluciditatem ſic dictam, aut gypſeam, quæ adhuc ſiccioris eſt indolis, magisque concreta, huc ſolùm pertinere, eſſéque ſimpliciter inſipidam ac dulcem dicendam, quia fortaſſis talis ſaporis deprehenditur, nam etſi in iſtis ſpeciebus non ſemper manifeſtè ſe prodat, occultè tamen latitat ſimul acidum quoddam coagulativum, nunquam enim humor in vitream, aut gypſeam, quam habet, abiiſſet conſiſtentiam, niſi ab admixto & conjuncto acido per coagulationem in hunc ſtatum fuiſſet deturbatus, ut ita complicata ac compoſita quævis talis ſit ex acidi & viſcidi ſimul juncti prædominio. Quod cæteroquin Antiqui hîc & alibi de aduſtione memorant, ac iſthæc humorum vitia per eorum incinerationem, vel putredinem aduſtivam explicare laborant, non niſi hyperbolicè admittendum, atque per majorem vel minorem acidi plùs minùs fixi ac terreſtris exceſſum intelligendum eſſe, ex noſtris principiis haud obſcurè eruitur, & præſertim ex iis, quæ de Cacochymiæ bilioſæ differentiis ſuprà adduximus.

§. 6. *Cacochymia ſeroſa* tandem vitium dicit ſeri ſanguinis, ſeu laticis ejus aquoſi diſcraſiam, quæ rurſus vel in quanto excedente aut diminuto, vel etiam in quali vitioſo conſiſtere ſolet, per quam partes corporis noſtri ſolidæ aut ſiccantur, aut humectantur ac diluuntur nimiùm, vel etiam peregrina alia qualitate imbuuntur. Si deficit ſerum, aut parciùs adeſſe obſervatur, maſſa ſanguinea quoad conſiſtentiam ſuam magis inſpiratur, atque ad coagulationes prona eſt, inepta verò ad circulationes & fermentationes ritè obeundas, ſicuti cùm quantitate excedit, ea tenuis, & nimis aquoſa redditur, propter quod & ſalia plùs minùs diluuntur, & maſſa ſanguinea à debita ſua conſiſtentia dejicitur, reſolvitur nimiùm & attenuatur, ex quo fermentatio naturaliter impeditur. Ubi verò qualitate quadam vitioſa peccaverit, id eſt loco ſaporis inſipidi, aut fortè ſabacidiuſculi, limpidæque conſiſtentiæ, utpote quas proprietates eidem in Phyſiol: naturaliter adſcripſimus, ſapores peregrinos, acrimoniam

ſcilicet quamcunque aut viſciditatem, vel tenuitatem inducit, partes ſolidas, ùt dicemus, vario modo afficit, eásque alterat ac immutat. Videtur equidem hæc ſub ratione qualitatis tenuioris & acrioris reduci poſſe vel etiam debere ad Cacochymiam amaram, quoniam autem negari haud poſſit, ſerum hîc tanquam vehiculum ſanguinis conſiderari, ab illa utique prorſus diverſa exiſtit. Atque hinc etiam diſtinquendum erit inter Cacochymiam ſanguinis & lymphæ, ſerum námque vitioſum conſiderari poteſt ac debet, vel quatenus adhuc ſanguini commixtum eſt, atque in arteriis ac venis cum eodem circulatur, vel quatenus in glandulis ab illo jam ſeparatum exiſtit, ac per vaſa lymphatica vehitur & revehitur. Priori modo conſiderata ſanguinis, poſteriori verò ſpectata lymphæ cacochymiæ aut vitium conſtituit, in quo iſta ſæpè ſine maſſæ ſanguineæ culpa aut diſcraſia vitiari ſolet, quandò v. g. glandulæ externo aëris errore læduntur, aut quoquo modô afficiuntur, vel ubi alia etiam cribra & emunctoria eandem contaminant, ac præternaturali quadam labe inficiunt.

§. 7. Ex præcedentibus ſcimus, omnes harum diſcraſiarum ſpecies â cauſis invehi ac dependere externis, ex his autem maximè in conſiderationem venire eorum omnium, quæ ſive copiâ, ſive qualitate peccant, atque ita ſuccos intemperatos ſuppeditare ſolent, ingluviem, atque ingeſtorum rationem, unàcum excretionum vitio, reliquarúmque rerum non naturalium omnium abuſu. Quod iſtas in ſpecie attinet, & quidem ex ordine priùs inter eas ſervato amaram generare ſolet aër calidus ac ſubtilis ſalibus acribus corroſivis & volatilibus impræegnatus, alimenta acria, & nimis aromatica, amara, pinguia, atque oleoſa, quin & ipſæ partes animalium nutritivæ ob magnam ſalium volatilium oleoſorum, ac alcalinorum copiam. Nec minimam hujus cauſam præbet potus vini generoſioris aromatici & ſpirituoſi, aliorúmque calidiorum & ſpirituoſiorum potulentorum uſus crebrior, ùt & vehementius corporis exercitium, animíque motus ac paſſiones excedentes, quas inter eminet ira, vel terror, quorum tanta eſt vehementia, ut corpus quandoque etiam valentiſſimum, atque integra ſanitate gaudens celerrimè afficere, ejúsque

que motus & actiones naturales pervertere, atque morbos graviſſimos imò mortem ipſam ſubitò inferre queant. Vigiliæ præterea, ætas, ac præcipuè juvenilis & virilis, tempus Vernum ac Æſtivum, aliàque plura, quæ ad cauſas morborum proximas fovendas plurimùm contribuunt. Acidam dein Cacochymiam producit imprimis etiam aër frigidus hybernus, quem ſale acido, & in ſpecie nitroſo refertum eſſe, ex faciei, labiorum, manuum, aliarúmque partium exteriorum fiſſuris colligi poſſe judicat Ettmillerus, præcipuè verò alimenta copioſiùs aſſumpta vel manifeſtè, vel occultè acida, atque auſtera unácum potulentis talibus, utpote quæ celerrimè in ſanguinem agunt, eúmque nimis coagulando, liberum per vaſa ſanguifera, maximè verò per ea, quæ exigua ſunt ac capillaria, circulum eidem adimunt. Singulariter tamen ex abuſu acidorum læduntur fœminæ, & illi omnes, qui vitæ ſedentariæ plùs juſtô addicti ſunt. Hinc motus corporis deficiens, mæror, pavor, curæ, contemplationes ac intempeſtiva ſtudia, ùt & ſomnus exceſſivus ſymbolum ſuum ad fovendam ac generandam talem Cacochymiam egregiè ſimul conferunt.

§. 8. Cacochymiæ inſipidæ ſeu dulcis cauſæ ſunt itidem aër valdè humidus, & frigidus, cibi copioſiùs ingeſti præſertim illi, qui in ſe craſſi, viſcidi, tenaces, glutinoſi, duri, crudi exiſtunt, quales maximè ſunt piſces, pedes animalium, eorúmque capita, & cerebra commeſta, carnes infumatæ, panis non ritè fermentatus, ſpiſſúsque, aliáque difficilioris coctionis, & mali ſucci alimenta. Ubi quies nimia, atque ſomnus excedens unácum Pathematis fortiter concurrunt. Quemadmodum autem excretiones ſanguinis tam puri, quàm impuri interceptæ, ùt & ordinariæ ac conſuetæ ſuperfluarum, atque excrementitiarum ſordium per urinam, alvum, ac reliquos cutis poros ſuppreſſæ evacuationes ad productionem plethoræ, ac generationem omnium dictarum Cacochymiarum, quod benè notari oportet, maximè faciunt, ita ad generandum & augmentandum impurum, & præcipuè lutulentum, viſcoſum, ac tenacem ſanguinem, ad lympham craſſam, variáſque ſimiles excrementitias ſordes in corpore coacervandas ſpecialiter contribuunt. Quare etiam facilè apparet, omnia illa, quæ ſalutares iſtas excreti-

ones ullô modô impedire ſolent, aut poſſunt, inter ſummè noxias ac inſalubres eſſe numeranda. Quoad cacochymiam ſeroſam denique cauſas ſuſtinent varia inſuper, & quidem ex rebus non naturalibus primò venit aër humidior, aquoſior, ac nebuloſior, præſertim Aquilonia ejus conſtitutio, deinde potus nimius, iſque crudior, deficiens motus ac vita ſedentaria, ſomnus exceſſivus, & quàm maximè ſufflaminata ſenſibilis tranſpiratio, ac urinæ ſuppreſſio, quippe quod circa generationem Cacochymiæ prioris de excretionibus, ac evacuationibus conſuetis ac ſuppreſſis meminimus, illud hoc loco ſingulariter annotandum putamus de cohibita aut impedita ſenſibili tranſpiratione, atque urinæ excretione, idque quoad ſeri copiam prænaturaliter auctam. Quoad imminutam verò ſeu defectum ejus præter ſudorem nimium, vel largiorem urinæ excretionem parcitas in potu, liquidiſque aſſumptis, exceſſus in motu, ac vigiliis, auráque ſiccior inſpirata ſæpè illius cauſa exiſtit. Quoad qualitatem autem ſeri vitioſam cauſas præbent non tantùm aër juſtô acrior, in iiſque quocunque demum modo vitioſo excedens, ſed etiam quàm maximè ex aſſumptis tam eſculentis quàm potulentis ea omnia, quæ ſalita, infumata, acria & aromatica fuerint, præcipuè olea deſtillata, potus calidiores, acriores, atque oleoſiores, ùt vina generoſiora, aut horum ſpiritus, & liquores aromatizati, imò ſingula, quæ unum ex priùs dictis vitiis, ac peregrinis qualitatibus imprimere, ſerúmque inquinare poſſunt. Ubi porrò ſciendum, ex iis, quæ omnium ſaluberrimam perſpirationem vel tranſpirationem inſenſibilem cohibent, & materiam excrementitiam ſeu ſerum impurum ſuperfluum, & corruptionis inferendæ aptum, tum etiam particulas ſalino-ſulphureas agiliores ſalutari ſæpè, atque critico motu ad extimam cutem effuſas reprimunt, eſſe terrorem, unácum balneis frigidis, linimentis adſtringentibus pinguibus oleoſis, aut ſulphureis, mercurialibus, ſaturninis, emplaſtris inſuper talibus ſtypticis extrinſecùs applicatis, quò & lintea recentia meritò referuntur.

§. 9. Verùm ſicut variæ ſunt, quas modò ad Cacochymias inducendas concurrere oſtendimus, atque enarravimus, cauſæ ſic dictæ externæ, procatharcticæ aut primitivæ, ita varii quoque dantur effectus, qui ex generalioribus quatuor dictarum Caco-

cochymiarum claſſibus reſultant. 1. Ex Cacochymia amara in genere omnes illi morbi oriuntur, qui aliàs calori prædominanti, & humores nimiùm liquanti aut fundenti adſcribi ſolent, in qua dum principium alcalinum cum ſulphureo proportionem debitam ac naturalem excedit, & limites moderati ſuper acidum prædominii tranſcendit, ſicque tenuitatem ac volatilitatem p. n. nactum in motûs velocitate exorbitat. Quemadmodùm autem ſequentes Cacochymiarum ſpecies omnes, ita & hæc ſuos gradus admittit, quod prævię notandum duximus, cujus ſummus ſcorbutum calidum, ùt acidæ frigidum nobis conſtituit, de cujus eſſentia & exiſtentia inter Practicos tot hactenus lites exortas novimus. Hinc ex bilis redundantia, per quam ſanguis, qui aliàs ſaporis ſuavis ac dulcis eſſe conſuevit, ſalſus in primo, amarus in ſecundo, acris verò in tertio gradu evadit, qui cauſæ ſunt, ut ſanguis vel liquetur, vel fundatur, vel rarefiat, exaltetur, ac tandem etiam præter naturam ſiccetur. 2. Ex Cacochymia acida originem ducunt effectus prorſus contrarii, atque pro majori vel minori principii acidi exuperantia magìs vel minùs coagulantur humores, condenſantur, ac inſpiſſantur, atque ita corpus noſtrum frigore magìs quàm calore afficitur. 3. Ex Cacochymia pituitoſa ſeu inſipida activæ minutiæ ac portiones maſſæ ſanguineæ ſalinæ, atque ſulphureæ ſpirituoſæ ſupprimuntur neceſſariò, & ita irretiuntur, ut ſeſe prodere, ſuáſque vires exerere ampliùs nequeant. 4. Ex ſeroſa pro diſcrimine cauſarum diſpares quoque effèctus promanant. Ubi benè notat Vicarius, ſerum Microcoſmi mirè conſentire cum latice Macrocoſmi, atque cum eodem ſymbolizare ſecundùm illius verba, nempe pro diverſo aëris ſtatu, quam inter utrumque ſympathiam maximè ſentiunt ij, qui partes læſas ac debilitatas, atque ita inæqualis roboris habent, apud quos is unicus, ſimúlque certiſſimus interpres exiſtit. Præcipui autem ſunt ſeri vitioſi, vel cum ſanguine adhuc circulantis, vel ab eodem jam ſeparati, ac lymphæ motûs, vitia, fluxionéſque catarrhoſæ, aut præternaturalis ejusdem in variis corporis partibus ſtagnatio vel effuſio. Ex quibus jam per ſe fluit cauſa plurimorum ac frequentiſſimorum morborum immediata ac proxima demum ſcilicet retardatio, impeditio, turbatio, atque immutatio motûs humorum & maſſæ

ſan-

ſanguineæ tam progreſſivi, quàm inteſtini, vel ſitûs horum, quas dein quæſt. 5. pluribûs indagabinus.

§. 10. Notandum autem hîc 1. de cacochymiis in genere, inter has, atque cacochyliam, ac chachexiam revera dari poſſe circulum vitioſum, ita enim ad invicem omnes comparatæ ſunt, ut altera alteram ſucceſſivè generet, ſic cacochylia ab initio mater eſt cacochymiæ, & hæc deinde cachexiæ, cujus ratio per ſe clara videtur, nam qualis eſt chylus, talis & ſanguis eſt, reliquíque humores omnes, ex quibus nutrimentum partibus ſolidis accedit. Unde ortum etiam eſt vulgatum illud Medicorum adagium: *vitium coctionis primæ non corrigitur in ſecunda*, *neque vitium ſecundæ corrigitur in tertia* juxta Antiquiorum phraſin. Idem viciſſim contingit, dum cacochylia à cacochymia, & hæc rurſus à cachexia foveri ac ſuſtentari ſolet, maſſa quippe ſanguinea à ſuccis pravis in partium nutriendarum tubulis hærentibus neceſſariò inficitur ac inquinatur, quæ proin ita infecta ac inquinata non niſi cacochymicos, id eſt pravos pariter humores v. g. bilioſos, lymphaticos progenerare, qui cùm ex ſua natura ad primam digeſtionem inepti ſint, atque adeò fermentum ſtomachium hebetent, aut iners reddant, chylificationem æquè ac chylum ipſum vitiant, & ita fomitem morboſum ſubminiſtrando cacochyliam maximè ſuſtentant. Atque ſub hujus nomine venit aliquibus, qui pro diverſitate regionum, in quibus cacochymia ſtabulari ſolet, eandem diſtingui volunt, cacochymia primæ regionis, quatenus in ventriculo, ac inteſtinorum, vaſorúmque chyliferorum tractu adhuc nidulatur, ut ita etiam chyli vitia huc pertineant, & inter cacochymiæ ſpecies referantur, quæ tamen Galenici olim, cùm chylum ex numero humorum, utpote quod eorum materiam ipſis ſolùm conſtituat, proſcriptum velint, ídque ex ſiniſtra, prout in Phyſiologia oſtendimus, acceptione, per ſolas ſic dictas cruditates explicare contenderunt. Interim tamen ea, quæ in arterioſo ac venoſo genere, in viſceribus itidem, & cribris ſanguinis ſecretioni, & depurationi deſtinatis, aut vaſorum etiam lymphaticorum tractu ſedem fixit, nomine generis ſervato propriè cacochymia audit, quæ verò in partium nutriendarum tubulis, earúmque anfractibus hoſpitatur, ſpecificè cachexia nominari conſuevit.

§. 11.

§ 11. Notandum 2. de cacochymia viſcido-acida, vel acido-viſcida, eam inter reliquas cacochymiarum ſpecies maximè decantatam eſſe, ita quidem, ut à multis præſertim iis, qui chymicorum placita ſectantur, eadem pro univerſali omnium morborum cauſa interna habita ac ſtatuta fuerit, propter quod & illi communi nomine Acidiſtæ appellantur. Et quantùm conſtat, fertur doctrinæ hujus extitiſſe auctor Helmontius, quod ejus ſcripta haud obſcurè produnt, quem poſtea ſecuti ſunt Tackenius, & hunc dein Helmontii pullum Cranius, Martini, Portius, Bontekoe, Daelmannus, Gehema, Regius, Braunius, Blancardus, Gladbachius, aliique plures, eſt antem Summa ſyſtematis eorum ſequens: Inprimis docent, ex principiis ac mechanicis conſtare ſatis, omnia corpora naturalia ex fluidis & ſolidis componi, atque in horum debita ac perenni mixtura omnium temperiem & conſervationem conſiſtere, ab ea verò turbata aut læſa intemperiem & deſtructionem illorum provenire. 2. Docent, & quidem conformiter prioribus, corpus noſtrum eſſe machinam hydraulico-pnevmaticam materialiter ſaltem ſpectatùm, comprehendentem in ſe partes fluidas, ſolidásque è quibus poſteriores in ſe non niſi vaſcula, & tubulos ſeu canaliculos minimos, cósque copioſiſſimos efficiunt, quos fluoribus repletos eſſe, & artificiosè deprehendimus, & rationabiliter conjecturamus. Fluores iſti ſunt vel ſanguis, vel lympha, cujus ſoboles ſunt ſaliva, liquor gaſtricus, ſuccus pancreaticus ac inteſtinalis, ubi in ſanguine pariter conſiderandum venit ſerum chyloſum, unàcum inutili portione, quin imò ipſi etiam ſpiritus animales hoc locô fluoris nomine intelligendi ſunt, quamvis non omnibus Acidiſtis ex ſucco nervoſo conſtare videantur, quia tamen & ipſe ſpiritus animalis canaliculos ſuos debitè implere, ac inflare debeat, fluidæ partis vicem gerit. Jam verò quamdiu omnes hi dicti vitales ac naturales fluores à ſua fluiditate, ac ſpirituaſcentia connaturali non declinant, ſed debitam craſin ac proportionem ſervant, interim & ipſæ partes ſolidæ in organizatione, tonóque naturali permanent, tamdiu ad motûs leges per corpus noſtrum ritè circumaguntur, illûdque ſanum, naturale ac vitale, quamprimùm autem alterutrum horum contigerit, ut ob abundantiam particularum fluiditati ac motui minùs obtem-

perantium minutiſſimi iſti anfractuoſi tubuli obſtruantur, labefactatur illud, ægrotat, moritur. Non eſt verò aliud quidquam, quod humores adeò imò unicè pronos reddit ad obſtructiones, quàm viſcedo ſuperinducta & aciditas plùs minùs fixa aut figens, quod millenis, ùt volunt, experimentis chymicis haud difficulter confirmari poſſet. Nihil ergo reliquum eſt ipſis, quàm ut dicatur ob ſolam hanc fluoribus inductam diſcraſiam viſcido-acidam, vel acido-viſcidam impediri eorum circulationes, ſecretiones, ac fermentationes naturales, atque ita machinam noſtram labefactari, ægrotare, & enecari. Quare in id etiam unice incumbunt hujus Hypotheſeos Patroni, ut tam per alimenta, quàm medicamenta dictos corporis noſtri canaliculos apertos ſervent, obſtructos reſerent, adeóque morbis medendi rationem in fluiditate ſanguinis conſervanda, ejúsque circulo per debita medicamenta, ac alcalina contraria promovendo ſitam eſſe contendant, hinc illa, quæ fluori, tenuitati, motuíque humorum remoram aut obicem ponunt, qualia ſunt acida omnia, damnent, rejectis ac poſthabitis inſuper purgantibus, & proſcriptis è Medicina Venæſectionibus, ceu crudelibus, ùt non nulli appellant, ſicariorum adminiculis, cucurbitulis, fonticulis, ſetaceis, aliísque ſimilibus remediorum evacuantium generibus.

§. 12. Quamvis inficiari minimè poſſimus ex acido-viſcido, vel viſcido-acido in noſtro etiam aëre, vitæque regimine plurimos ac frequentiſſimos oriri morbos, utpote quòd, ùt priùs diximus, fermentationes non ſolùm, ſecretiones & evacuationes naturales, ſed & ipſum ſanguinis circulum retardet; præſertim cùm apud pleroſque de facto acidorum uſus invaluerit; & licèt non ipſi omnia tam in naturali, quàm præternaturali ſtatu phænomena chymico-mechanicè explicemus, adeóque dictam partium machinæ noſtræ corporeæ ſolidarum æquè, ac fluidarum materialem conſtitutionem, & mechanicam ſtructuram ultrò Acidiſtis concedamus, plura tamen ſunt, eáque efficaciora argumenta, hanc hypotheſin ùt miſſis hîc iis omnibus, quæ de primis reum principiis ac elementis de generatione & corruptione controverti ac diſputari ipſis ſolent, ex quibus ſtatuitur pro univerſali morborum cauſa interna, falſam eſſe ſufficienter oſtendi

poteſt.

Quotidie recitabo devotiſſimè
Orationem : ô Domina c.
et manè ac Veſperi petam
mihi benedici â Matre divina.

poteſt. Et quidem 1. Ex nimia ſanguinis, ac reliquorum humorum fluiditate, quæ pariter non infrequens cauſa eſſe poteſt ac ſolet morborum quorundam, ùt probatur experimento Cl. Hoffmanni, nempe ex liquore, qui cum alcalino quovis ſive fixo ſive volatili imbutus fuerit, venæ canis aut alterius animalis apertæ infuſo, ubi obſervatur, illum longè citiùs emori, quàm ſi acidus quidam fuiſſet infuſus, ſanguine fluidiſſimo purpureo, ac coccineo in venis conſpicuo, ſigno utique manifeſto, ùt infert ille in Exercitatione acroamatica ad Cl. Krueg Archiatrum Brandenburgicum, & nos cum eo concludimus, nimiam humorum fluiditatem, ac tenuitatem morborum quoque ac mortis cauſas exiſtere poſſe. 2. Ex nimio ſalium volatilium uſu, ex obſervationibus enim Practicorum evidenter conſtat, ab illo facilè induci hecticas, tabes, capitis dolores intenſiſſimos, ſyncopes, atque enormes hæmorrhagias, quin imò ſæpè mortem ipſam, quales hiſtorias, quas ipſus collegit plures prælaudatus Author Libr. citato adducit. 3. Dogma Acidiſtarum minùs univerſale eſſe evincit porrò id, quòd in morbis quàm plurimis non poſſit accuſari acido-viſcidum, vel viſcido-acidum, ſed potiùs ſal acre volatile alcalinum, ùt in ſcabie ſicca, ſcorbuto calido, arthritide vaga, rhevmatiſmis, febribus malignis, variolis, morbillis, purpura miliari, ac peſte ipſa, ùt & in dyſſenteriis, aut diarrhæis, hydrope, morſibus animalium venenatis, atque aliis pluribus, quorum omnium cauſa non eſt acidum quoddam, ſed alcali volatilitate peccans, humoréſque ſolvens, fundens, aut liquans, quod vel in ſanguine, vel ſero, vel lympha p. n. abundat. 4. Probatur ex ipſis medicamentis acidis, in morbis certè pluribus remediis potentiſſimis, ſic in curatione peſtis, febrium malignarum, aliarúmque continuarum acutarum, ubi ſtatus ſanguinis fuſorius prævalet, nil Medicis in frequentiori uſu eſt, quàm Tinctura bezoardica, mixtura ſimplex, phlegma Vitrioli, Clyſſus Antimonii, acetum bezoardicum, ſpiritus ſalis, Vitrioli, ac Nitri dulcis, poma citrina, & mille alia hujus tenoris antidota, ac celebriora iſtorum morborum præſidia, quorum plura adducere nec lubet, neque etiam juvat, ut taceamus alia, quorum vires & agendi rationem vix & ne vix quidem per principium quoddam acidum vel alcalinum ſatis explicari poſſe ab omnibus

eſt admittendum. Plura qui cupit, legat ſuperiùs citatum Cl. Hoffmannum in peculiari illo ſcripto, in quo acidi & viſcidi pro aſſignandis omnium morborum cauſis, ùt & alcali pro iisdem demoliendis inſufficientiam ſatis demonſtravit, cui jungatur & illa diſſertatio epiſtolaris Cl. Bohnii ad Joëlem Langelottum, in qua acidi & alcali inſufficientiam pro ſtabiliendis rerum naturalium principiis itidem ſolidè oſtendit. Interim tamen non negamus, pluribus in caſibus, maximè verò apud Batavos, ac alias nationes ſeptentrionales ob diætam, aërémque craſſiorem humores etiam craſſiores fieri, conſequenter in iis ſal volatile & alcalinum non abundare, & ita potus calidos, ac Theiformes illis non tantùm non nocere, ſed quandoque etiam prodeſſe plurimùm, in quantùm nimirum obſtructiones expediunt, & humoribus ſuum circulum reſtituunt, quin tamen inde ſequatur, hoc dogma eſſe univerſale reſpectu omnium morborum internorum, prout ab Acidiſtis communiter prædicatur.

QUÆSTIO V.

De Humorum vitiis in motu ac ſitu ùt morborum cauſis in ſpecie.

SUMMA.

1. Quotuplex ſanguinis motus, & hujus progreſſivi vitium? 2. Quot modis peccet ſanguinis motus inteſtinus dictus, ac qualiter differat? 3. Quorumnam morborum cauſa ſint motûs ſanguinis progreſſivi retardati vitia, ſeu ſtagnationes aut ſtaſes illius? 4. Quænam ſint ſpecialiter obſervanda circa obſtructiones? 5. Qualia has inſequantur ſymptomata? 6. Quosnam morbos ac ſymptomata producat ſeri ac lymphæ motus circularis? 7. Quid poſſit quoad morboſos effectus motus humorum inteſtinus vitioſus? 8. Quo-

tuplex

tuplex ſit, ac qualiter contribuat ut cauſa morbifica vitium humorum in ſitu?

§. 1.

EX dictis in Phyſiologia de principio vitali notum eſt, duplicem eſſe humorum ac præcipuè maſſæ ſanguineæ motum, atque unum progreſſivum ſeu circularem, & alterum inteſtinum, aut fermentativum alio nomine appellari, â quo duplici illius motu vitæ ac valetudinis noſtræ ratio unicè dependet, ita quidem, ut qualis ſit uterque horum, talis pariter futura ſit vitæ ac ſanitatis conditio, oportet enim ſanguinem in ſtatu naturali non tantùm debitè per omnes partium mæandros circuire, ſed & certo modo, eôque blando, quoad ſatisfuerit tamen, inſuper fermentari, in quorum igitur, vel utroque ſimul ſi peccaverit, in vitam ac ſanitatem peccat. Poteſt autem motus ſanguinis, ùt & reliquorum humorum inde oriundorum (quamvis ſpecialiter â non nullis attendi non ſoleat) progreſſivus aut circularis vel deficere, vel excedere, quorum priùs ſi contingat, ſolet id rurſus dupliciter fieri, dum vel retardatur, aut imminuitur, vel penitùs ſiſtitur, ac ſopitur, adeóque vel ex integro, vel ex parte tantùm ſufflaminatur, quod etiam nunc in ipſis viſceribus depuratoriis, nunc in ramis vaſorum majoribus, modò in vaſis capillaribus, modò etiam in minimis fibrarum aut partium nutriendarum tubulis, aut alio in loco evenire poteſt. Sciendum autem, plùs periculi alere ſtaſes, & acutiores eſſe, quàm ſtagnationes, aut congeſtiones, quia in illis ſanguis omni motu deſtitutus eſt, utpote vaſis minimis firmiter impactus, iiſque inhærens, in his verò non ex toto quieſcit, ſed ob copiam & infarctum lentiori ſolùm modo procedit. Et prout gravior aut levior talis ſtaſis eſt, partéſque ipſæ, in quibus ea contingit, magis vel minùs ſenſiles exiſtunt, eò magis diverſæ naturæ morbi proveniunt. Motus ſanguinis progreſſivus auctus vel excedens quid ſit, ac qualis, cùm per ſe ſatis innoteſcat, non eſt, ut plura de eo afferamus, niſi quòd in febribus juxta aliquos potiſſimùm obſervari ſoleat ac poſſit tam manifeſtè, ut per nimium hunc motum ſan-

guinis iis febris definiri ſoleat contra paucos illos, qui quò plùs auctus eſt pulſus in febribus, eò magis ſufflaminatam aut depreſſam illius circulationem eſſe docent, quis tamen nobis hac in re ſenſus ac mens ſit, mox aperiemus.

§. 2. Alter ſeu inteſtinus ſanguinis motus itidem tripliciter vitiari poteſt, nimirum vel deficere, vel depravari, vel etiam excedere. Deficit autem ille, eò quòd propter portiones ſpirituoſas & particulas ſalino-ſulphureas aut magis activas, atque ab acido-viſcidis v. g. chylo crudiore, minúsve ſubacto ſuppreſſas, depravatur ob activa principiorum activorum, ac ſalium humoribus inexiſtentium incongruas qualitates; excedit demum in mixtura ſanguinis penitùs turbata, in qua nobis cum Sylvianis ac Williſianis febris eſſentia conſtituitur, ac per quam intelligitur, quàm perverſus particularum minimarum ſanguinem conſtituentium ordo & nexus, quem Recentiores de fermentatione tractantes, eámque ad humores præſertim verò ad ſanquinem atque chylum applicantes, quos inter præcipuè eſt Williſ. Exercit. de fermentatione, ac Tractat. de febr. aliíque plures per motum quendam intrinſecum, aut agitationem particularum ſanguinis activarum & paſſivarum cum tendentia vel ad perfectionem, vel propter mutationem ad aliud, & quidem nimiam ſeu auctam magis, quàm naturaliter eſſe decet. Unde patet, duplicis generis fermentationem dari, naturalem unam, de qua ubi de chylificatione & ſecretione in Phyſiologia, contra præternaturalem aliam, quæ hîc ſpecialiter conſideranda venit. Hic ipſe motus ſanguinis inteſtinus auctus, vel potiùs impetuoſus ac perverſus particularum minimarum ſanguinis conſtitutivarum ordo nexúſque, quem alio nomine turbatam ejus mixtionem dicimus cum Williſio, poteſt ſubinde ſanguini cæteroquin optimè conſtituto ſuperinduci, quando nempe fermentum aliquod morboſum, aut myaſma malignum ab extra communicatur, & vel ex aëre, contagio aut ſimilibus aliis cauſis ipſi advehitur, vel ad intra generatur, & ex cacochymia oritur, eámque ùt cauſam ſupponit. Lata tamen, quæ inter ſtatum cacochymicum ac turbatam ſanguinis mixtionem intercedit, in eo conſiſtit differentia, quòd in hac turbetur aut pervertatur ſecundùm minima nexus, non item in illo; ſicut enim liquor aliquis (quod exemplum

plum affert Waldſchmidius) ita & ſanguis corporis noſtri fieri poteſt impurus, quin tamen ſit ſecundùm minimas ſuas particulas turbatus; quo in caſu facilè adhuc poterit per ſubſidentiam, decantationem, aut filtrationem à ſordibus ſuis depurari, purgarique; quamprimùm autem mixtio ejusdem, vel intima compages etiam in minimis ſoluta, ac turbata fuerit, omnibus dictis modis adhibitis incaſſum laboramus, niſi per fermentationem ac ſubſecutam præcipitationem inſtituatur repurgatio, quod ipſum de ſanguine cacochymico, & in ſua mixtura turbato hîc eſt intelligendum.

§. 3. Atque hæc ipſa motûs progreſſivi, ac ſpeciatim retardati ac impediti vitia, quemadmodum per ſe ſunt producta morboſa, ac immediatè vel à plethora, & ſanguinis etiam laudabiliter conſtituti copia, vel à cacochymicis corporis noſtri ſuccis proveniunt, ita eadem cauſæ evadunt immediatæ ac proximæ variorum morborum, qui ſpecialiter nomine obſtructionum veniunt, quæ uti priùs diximus per totam tubuloſam corporis ſubſtantiam contingere poſſunt. Conſiderari autem ſolet iſtarum differentia pro diſcrimine humorum ſtagnantium, quæ enim ex humoribus craſſis ac viſcidis oriuntur ſtaſes, ſtagnationes, aut congeſtiones, magis contumaces ſunt, atque ita obſtructionum ac morborum chronicorum cauſæ fiuunt, eò etiam pejorum, quò magis in viſceribus nobilioribus ac ſanguinis depurationi inſervientibus ſedem fixerunt ſuam, quæ quidem, quamdiu tales manent, nec inflammatio, nec febris iis jungitur, quamprimùm autem (quod ſucceſſivè ſæpè fieri ſolet) humorum ſtagnantium textura quacunque ex cauſâ immutatur, illudque quod ineſt principium ſalinum antea ſuppreſſum ſui juris fit, motus ſimul inteſtinus turbabitur, & humor ſtagnans, obſtructionémque inducens præterlabenti ſanguini aut lymphæ commixtus, atque ad communem maſſæ humoralis alveum delatus naturam ac indolem fermenti febrilis induet, & pro circumſtantiarum diverſitate jam continuam, jam intermittentem febrem excitabit. Ubi verò humor obſtruens acris fuerit, ſalſus, aut per ſe bilioſus, poros partium in tantum conſtringet, & obſtruet, ex quo ſtatim earum inflammatio & febres inflammatoriæ ſe ſiſtunt pro varietate partis affectæ jam magis jam minùs periculoſæ, quia

ſan-

ſanguis per partis ita conſtrictæ & obſtructæ vaſa minima ac capillaria non ſolùm quoad motum ſuum circularem impeditur, ſed etiam quoad inteſtinum turbatur, qui dein reliquæ maſſæ confuſus totius mixturæ turbationem inducit. Maximé periculoſa autem cenſenda eſt omnis ſtaſis ſanguinis in locis valdè nervoſis, ùt in meningibus, in ventriculo, ac inteſtinorum ipſorum canalibus, aut iis etiam membranis, quæ veſiculas pulmonales conſtituunt. Ex ſtagnante ſanguine proveniunt convulſiones & ſpaſmi, ſpecialiter verò ſanguis ex menſium fluxu ſuppreſſo, aut vi cohibito ſtagnans graviſſimas ad alia loca inducit congeſtiones acerbiſſimis ſymptomatis ſtipatas, ſi nempe ad caput, præcordia, ſtomachum, hepar, aut ad ventrem relapſus fuerit, prout Hipprocr. L. 1. de morbis mulierum pluribus paragraphis exponit, quod pariter de ſanguinis hæmorrhoidalis in inteſtino colon ſtagnatione, quæ non minora parit incommoda intelligendum volumus. Ubi porrò probè notandum erit de ſanguinis ſtagnatione in plethoricis ex conſuetis ejus excretionibus ſuppreſſis, ortíſque inde obſtructionibus, per has viſcerum tonum lædi, ſolvíque, atque graves ac diuturnos morbos inſequi ac oriri.

§. 4. Ut autem illorum, qui ex intercepto alicubi ſanguinis motu progreſſivo naſcuntur, morborum plenior ac ſpecialior theoria habeatur, ſciendum ulterius eſt, quòd ſi in partibus præſertim membranoſis craſſiores ſanguinis particulæ in arctiores canales, aut tubulos minimos, ùt priùs diximus, fortiùs imprimantur, & in iis firmiùs incluſæ hæreant, obſtructionem ſemper comitetur inflammatio, quam ſequitur abſceſſus, & exulceratio, ubi enim ſanguis in partium poros ingreſſus regredi ampliùs nequit, ſed firmiùs inibi hæret, tandem corrumpitur, erodentem, ſalſam & acrem indolem aſſumit, atque in pus mutatur, tumores verò oriantur, quando nimia ſanguinis aut humorum congeſtio aut ſtagnatio in poroſa & vaſculoſa partium ſubſtantia contingit, in quibus ob violentam ſimul membranarum nervearum diſtenſionem dolores ſubinde accedunt gravativi, quemadmodum dolor ac ſpaſmus gignitur, ubi ſanguis intra membranas nerveas & carneas ſubſiſtit, ſtagnat, eáſque valdè diſtendit, ita quidem, ut quò major eſt ſtagnatio, & repletio vaſorum, ipſæque membranæ exquiſitioris ſenſûs ſunt, eò

vehe-

vehementior etiam dolor ſit, qui & alias partes nerveas in conſenſum trahit, quod probè notandum eſt, ſed & ſciendum ſimul, quòd, licèt ex repletione vaſorum ſpaſmus oriatur, ùt Hippocr. ipſe S. 6. aph. 39. rectè pronuntiavit, id tamen non ubique, ſed in iis ſolummodò partibus contingat, quæ ex membranis nerveo-muſculoſis, utpote quæ verum ac genuinum motûs ac ſenſûs organum conſtituunt, ſpecialiter compoſitæ ſunt, uti patet in hepate, liene, utero, ac meſenterio, atque aliis magis ſenſibilibus, ac nervoſo-membranaceis partibus, ùt meningibus, pleura &c.

§. 5. Quamvis autem à tardiori ſanguinis per corpus univerſum motu obſtructiones variæ, ac morbi quàm plurimi oriri poſſint, maximè tamen, ac potiſſimùm notabiles ſunt, quæ in determinatis aliquibus partibus accidunt: ſic ex obſtructis, à congeſtis, ac ſtagnantibus in capite humoribus plura eáque graviora ſymptomata proveniunt, ubi enim per cerebri vaſa tardiùs movetur ſanguis, inſomnia terrifica ac melancholica pathemata excitantur, ſi verò meningibus firmiùs impactus hæſerit, phrenitis oritur, econtrà, cùm in communi nervorum principio ſeu meditullio cerebri ſtagnaverit, apoplexiam, in pulmonibus aſthma, peripnevmoniam, phtiſin, hæmophtiſin, exulcerationem, in corde palpitationes ejus, atque ſummas anxietates, in viſceribus horum tumores, inflammationes, ac abſceſſus, in utero menſium ſuppreſſiones, aut immodicum etiam eorum fluxum, in renibus mictiones cruentas, aliáque morboſa accidentia producit, ſpecialiter autem de iis, quas hinc inde in corpore, ejúsque vaſis ſanguiferis generari ac polypos communiter vocari diximus, coagulationibus, concretionibus, aut coagmentationibus conſtat, quòd ſi tales hæreant in vaſis majoribus, cordíque proximis, crebras plerumque lipothymias ac ſubitaneam ſæpè mortem inferant, quandò verò ſanguifera pulmonum vaſa obſederint, aſthma convulſivum, hydropem pectoris, catarrhum ſuffocativum inducant, quemadmodùm in ſinubus duræ matris affectuum epilepticorum, apoplecticorum, ſoporoſorum ac pertinacium cephalalgiarum, in vaſis demum abdominis majoribus tumorum œdematoſorum, atque hydropis Aſcitis cauſa ſæpiùs exiſtunt, quod vel maximè intelligendum de hepate, ac liene,

P ceu

ceu duobus amplis illis, & ſpongioſis viſceribus ex meris vaſis contentis, in quibus ùt plurimùm fons & ſcaturigo cachexiæ radicatur, qualis námque per iſthæc parenchymata ſanguinis tranſitus eſt, talis etiam eſt lymphæ per abdominis vaſa circulus ob rationem ſuperiùs datam, & ex Anatomia petitam, ex qua conſtat hodiè, difficiliorem eſſe per hepar, quàm per quodvis aliud viſcus in corpore noſtro ſanguinis motum, quia vaſa ſanguinem advehentia ſufficienti niſu ac impulſu deſtituta ſunt, cùm potiſſima venæ tantùm ſint, ſanguine autem intra vaſa ſua ſtaſin concipiente non ſolùm in iis obſtructiones contingunt frequentiſſimæ, ſed etiam ſerum ab eodem ſeparatur, atque in vaſa lymphatica tranſiens, eáque diſtendens tandem diſrumpit, ut ita vomitus ſæpè cruenti, & nigræ dejectiones per alvum quoque fieri obſerventur, aliquando etiam ex horum ipſorum obſtructione immodicus ſanguinis per hæmorrhoides fluxus excitetur, qui hydropicis, cachecticis valdè familiaris eſt, aut cùm ſanguis intra membranarum inteſtinalium interſtitia congeſtus ac ſtagnans, easdem nimiùm diſtendat, quod hæmorrhoidariis nil novum eſt, & atrociſſimos ſæpè dolores pariat. Et quia ipſum pancreas etiam totum glanduloſum eſt, ejúsque glandulæ, quarum ingens copia in meſenterio deprehenditur, omnes vaſis exiliſſimis inſtructæ ſunt, mirum non eſt, ſi propter illam, quam nactæ ſunt exilitatem, faciliùs obſtruantur, indurentur, ac ſcyrrhoſæ evadant, quod inciſiones corporum poſt mortem ſatis nobis teſtantur, hinc etiam, ſive dein ex copia, ſive ex viſciditate ac lentore ſanguis ſubſiſtat, facilè inde abſceſſus, putredines, febres lentæ, ac meſentericæ ſuboriantur.

§. 6. Neque ſanguis tantùm, ùt hucusque oſtendimus, in motu ſuo progreſſivo retardatus, aut penitùs impeditus plurimorum morborum, ac ſubſequentium inde ſymptomatum, ſed & ſerum & lympha hinc inde in corpore ſtagnans frequens eorundem cauſa eſſe ſolet. Jam verò cùm liberior lymphæ circuitus à ſanguinis circulo unicè dependeat, íſque ubivis in toto corpore per univerſum vaſorum tractum valdè imminutus aut præpeditus eſſe poſſit, eô verò imminutô ac præpeditô portiones fluidæ ac ſeroſæ ſecedant, ac ſeparentur à craſſioribus, atque ad loca varia deponantur, intelligi facilè poterit, qua ratione, ſi in-

ſi intra cerebrum ad principium nervorum ſerum à ſtagnante ſanguine ſeceſſerit, ibíque hæſerit, apoplexiam, aut epilepſiam, ſi verò nervos medullæ ſpinalis occupaverit, hemiplegias aut paralyſes, ſi circa nervorum opticorum thalamos depoſitum fuerit, guttam ſerenam, circa par ſeptimum nervorum ſurditatem, circa nonum demum aphoniam procreet. Præſertim autem haud difficulter concipitur, quomodo ex tardiori in memoratis imi ventris viſceribus ſanguinis motu, ejúsque ſtaſi ſerum ac lympha ſequeſtretur, atque ita ſequeſtrata & copioſiùs in vaſa lymphatica ingreſſa, eadem tandem nimiùm diſtendendo penitùs diſrumpat, vel glandulas meſenterii obſtruendo ingentem abdominis intumeſcentiam, ſeu aſcitem producat. Ex hoc ipſo fonte, ſcilicet motu lymphæ per ſua vaſa ac glandulas intercepto fluunt diarrhææ, copioſæ phlegmatis aut ſeri ſive per nares, ſive per tuſſim rejectiones, immodicæ ſalivæ ac urinæ profuſiones, immoderatæ ſeri vitioſi, & liquoris ſeminalis corrupti fluxus in fluore albo mulierum, & gonorrhæa virorum tam benigna, quàm virulenta, ſeri acrioris & ſalſioris decubitus in catarrhis & rhevmatiſmis. Ubi tamen ſingulariter notandum, quòd ſi humores lymphatici diutiùs in glandulis ac vaſis ſuis ſtagnaverint, illi tandem acrem, atque erodentem naturam induant, utì priùs advertimus, quæ ſolidas partes exedit, earúmque fœdas exulcerationes, ùt in ſcorbuto ac lue Venerea videre eſt, poſt ſe trahit. Et quidem, quò majores ſunt glandulæ obſtructæ, eò ſenſibiliùs, ac magis liber lymphæ tranſitus impeditur, propter quod etiam eò graviores ac periculoſiores affectus, quales ſunt dictæ exulcerationes, aut apoſtemata proveniunt, prout ſatis apparet ex glandularum in inguinibus aut ſub axillis ſitarum ob lympham in iis ſtagnantem obſtructione atque intumeſcentia, ac præſertim ea, quam mali moris ulcera inſequuntur, utì fit in peſte, aut febribus malignis.

§. 7. Poſtquam expoſuimus, quos morbos ac ſymptomata progerminent humorum quoad motum eorundem circularem aut progreſſivum vitia, exponemus modò, quorumnam auctor ſit illorum inteſtinus læſus, ubi ſciendum prævié, quòd hæc poſteriora æquè, ac illa priora producta ſint & effectus cacochymiarum, ita quidem, ut á cacochymia ſpeciatim viſcido-acida

ac pituitoſa effectivè dependeat fermentatio diminuta, ſeu motus inteſtinus deficiens, à ſeroſa ac peregrinis ſalibus fœta depravatus, à biliosa vel plùs minùs acri, ſulphurea & oleoſa, aut alio inſolito æthere, myaſmate, ac contagio infecta auctus, ſive turbata ſanguinis mixtura reſultet, quæ dein vitia aliorum rurſus graviſſimorum morborum, eóſque inſequentium ſymptomatum præſertim febrilium cauſæ fiunt. Speciatim autem ex defectu motûs inteſtini aut fermentativi ſanguinea maſſa à naturali ſua conſtitutione recedit, ac vappeſcit, redditúrque omninò effœtus, eò quòd portiones ſpirituoſæ & particulæ ſalino-ſulphureæ aut activæ nimiùm obruantur, atque ab acido-viſcidis, v. g. chylo crudiore, minúsque ſubacto aut fluido, ſed ùt plurimùm magis acido ſupprimantur, ita ut pituitoſæ ac phlegmaticæ prædominium requirant, prout in cachecticis aut chloreticis fieri obſervatur, in quibus ferè in totum aboletur, & affectus frigidi ſeſe produnt. Ex depravatione motûs inteſtini activa principia & ſalia incongruas atque peregrinas qualitates nanciſcuntur, & tum inter ſe, tum aliis etiam particulis ſe commiſcendo motus humoribus ac ſpiritibus irregulares inducunt, ex quibus illæ, quas in hypochondriacis, ſcorbuticis, hyſtericis, ac ſimilibus, affectibus notamus, caloris & frigoris viciſſitudines oriuntur. Ex fermentatione aucta demum, ſeu turbata ſanguinis mixtione proficiſcuntur varii quidem morbi, variáque ſymptomata, præprimis tamen intemperiei calidæ fœcundiſſima mater exiſtit, ùt patet in febribus omnibus, atque peſte ipſa, quandò nimirùm ſalia, à quorum vitiata craſi, proportione, ac harmonia omnes iſtæ fermentationis læſiones maximè dependent, quacunque demum ratione ad humoralem maſſam delata ab aliis minutiis non ritè contemperantur, ſed ſui juris facta, atque acriora reddita violentiùs inter ſe concurrunt, ac quaſi invicem efferveſcunt. Unde ſufficienter patet, eosdem humores ſub vario reſpectu, atque in ordine ad proprietates, & connotata ſua ſpecialia conſideratos varia cauſarum morbificarum genera conſtituere, earúmque vices ſuſtinere, ſicut enim illi vario ſub nomine ſpectati, ſub quo & vitam, & ſanitatem noſtram legitimè gubernare ac conſervare ſolent, quamdiu naturaliter conſtituti ſunt, ita utramque, ſi præter naturam ſe habeant, peſſimè deturbare, atque

que penitùs devaſtare valent, idque mediatè per quantitatem ac qualitatem illorum vitioſam, immediatè verò per motus eorundem perverſos aut depravatos, utpote qui ratione corporis animati ac viventis functiones aut actiones ejus proximè vitiant, ac perturbant, ita, ut hiſce poſitis morbi illicò præſto ſint, iis verò remotis pariter iterum tollantur, ac evaneſcant, quod requiſitum eſſe novimus ex data ſuperiùs cauſæ morbificæ immediatæ ac proximæ definitione.

§. 8. Sed datur præter hæc in quantitate, qualitate, ac motu humorum vitia aliud inſuper in *ſitu* eorum ultimò hîc inter cauſas morbificas exponendum multorum itidem morborum ferax, quod communiter triplex ſtatuitur, præſtant nàmque humores, quatenus adhuc peccare, & morbos immediatè efficere poſſunt, dum 1. Refluunt ad illas cavitates aut receptacula, ex quibus naturaliter effluere debent, ſicque præter naturam regurgitant, uti fit, quando ſanguis, ùt priùs diximus, cùm difficiliùs per hepar, quàm reliqua viſcera ob defectum ſat validarum fibrarum motricium traijciatur, ad venam portæ, ejúsque ramos, unde prodierat, denuò regurgitat, aut quando ſerum urinoſum ad renum pelvim remeat, vel bilis obſtructo ductu choledocho in veſiculam felleam, & hepatis glandulas, & ſic ad ſanguinem ipſum regrediatur. 2. Peccant humores in *ſitu*, cùm ij in cavitatem aliquam, in qua naturaliter eſſe non debent, præter naturam effunduntur, quod contingit, ſi in cerebri ventriculis ſerum extravaſatum ſubſiſtit, vel ob rupta vaſa plexûs choroidei ſanguis effunditur ac ſtagnat, ubi affectus ſoporoſi & apoplectici oriuntur, aut quando in thoracis cavitatem & quidem cum pure ſanguis deponitur in Empyemate, vel tandem ſitum & locum is affectat præternaturalem in anevryſmate, aut ſine tali diſruptis vaſis lymphaticis ſerum effunditur in hydrope pectoris. Interim tamen benè diſtinguendum eſt inter humorum quoad ſitum vitia, quatenùs ſunt morborum cauſæ, ſub qua ratione hîc conſiderantur, & quatenùs eorum effectus exiſtunt, nam licèt illa rectè quidem pro cauſis morbificis, ùt modò vidimus, haberi poſſint, & ab Auctoribus pro talibus etiam habeantur, nihil tamen impedit, quò minùs eadem pro morborum effectibus, aut ſymptomatis ſæpè veniant reputanda ob convertibilitatem inter

 ſe,

ſe, fieri enim poteſt, & revera fit ſæpiùs, ut, quod nunc eſt morbus pro hîc & nunc, reſpectu alterius ſit cauſa morbifica. Ita viciſſim poteſt aliquid reſpectu hujus eſſe ſymptoma, & reſpectu alius, quem efficit, morbi cauſa, ad quem ergò reſpectum ac diverſam, ſub qua conſiderari ſolent, rationem hîc ſedulò attendendum eſt, quod ſeriò monendum duximus, ut omne erroris periculum evitetur, ingens quippe confuſio morborum & ſymptomatum apud Auctores Practicos reperitur, qui plures morbos pro ſymptomatis, ac ſymptomata pro morbis habent, ex quo ſatis colligitur, veras utriusque notiones ab iis non ritè concipi, nec modum, quo ſinguli ab invicem promanant, debitè indagari, in quo tamen cardo rei vertitur, & vix non omne ſitum eſt quoad citam ac tutam morbi curationem, de qua cautela iterum redibit ſermo de ſymptomatis, horúmque differentia ac diviſione in primaria ac ſecundaria in Parte tertia hujus Libri ſeu Symptomatologia.

SECTIO II.

De Spiritibus, Partibus ſolidis, Calculis, Vermibus, ac Flatibus ùt morborum cauſis.

INdubitatum eſt omnibus, exceptis iis paucis, qui Stahlii dogmata ſectantur, ac ſpiritus omnes ſine ullo ſufficienti fundamento, quod in Phyſiol. oſtendimus, ê Medicina penitùs proſcriptos volunt, eosdem etiam morborum cauſas exiſtere, quia tamen eorum vitia quàm maximè ac præprimis â diſcraſia humorum dependent, juxta illud: *Qualis chylus, talis ſanguis, qualis ſanguis, tales ſpiritus, & quales ſpiritus, talis ſanitas eſt, ac vita noſtræ conditio.* Hoc forſan in cauſa fuit, quòd non ſolùm Galenici, ſed Recentiores etiam plerique ſaltem theoricam de ſpiritibus præter naturam conſtitutis obiter tantùm pertractârint, imò penitùs quandoque neglexerint, ſe ſatisfeciſſe rati, ſi humorum vitia, â quibus illi naſcuntur, debitè expoſuerint, quam-

quamvis & alterum ſit porrò ſummè neceſſarium, ùt ex dicendis apparebit. Idem tenendum eſt quoad partes ſolidas in ratione cauſandi morbos, quemadmodùm de ſanitate diximus, ùt ùt de calculis ac vermibus res videatur nonnullis adhuc dubia, illósque ad producta potiùs morboſa ſeu ſymptomata in excretis vel retentis toto genere præternaturalibus, quàm cauſas morbificas referendos exiſtiment, cùm actiones ſæpè manifeſtò lædant, quô tamen non obſtante certum eſt inſuper, calculos ac vermes ſæpiùs etiam morborum cauſas internas, eásque immediatas conſtituere, eòquòd ſi calculus actu obſtruat, vel lumbrici aut vermes corrodant partes, obſtructionem vel diſſolutionem earundem immediatè ceu morbos producant, qui cauſa ſunt læſarum actionum, atque graviſſimorum, quæ ſubinde inſequuntur, ſymptomatum, id quod de flatibus quoque, in quantùm & illi inter cauſas morborum internas ac proximas veniunt, intelligendum eſt, ubi tamen de vaporibus ſingulariter aut ſeorſim tractare non erit operæ pretium, cùm ipſi ex humoribus, quorum proin naturam ac indolem ſapiunt, pronaſcantur, adeóque unum quaſi idémque cum flatibus eſſe videantur.

QUÆSTIO I.

De Spiritibus, & partibus ſolidis ùt morborum cauſis in ſpecie.

SUMMA.

1. Quot modis ſpiritus morbos producere valeant? 2. Quomodo intelligendi ſpiritus ùt cauſa morbifica, & quales dicantur morbi ab iis producti Helmontianis? 3. An tonus vitioſus partium ſolidarum etiam morborum cauſa ſit, & quomodo? 4. Quoſnam morbos producat tonus ſtrictior? 5. Quales laxior? 6. Quæ mens ac ſenſus ſit RR. de tono partium ſolidarum vitioſo ùt morborum cauſa?

§. 1.

SPiritus tripliciter morborum cauſæ exiſtere poſſunt, nimirum vel *quantitate*, vel *qualitate*, vel *motu vitiato*. Quoad *quantitatem*, ubi deficientem ſolùm intelligimus, non auctam vel excedentem, utpote quæ poſſibilis non eſt, peccant 1. morbósque producunt illi, ſi in minori, quàm ſufficit ac requiritur, copia adſint, ſive dein vitium hocce aut inopiâ proveniat ex eo, quòd vel non generentur in ſufficienti quantitate, ſive ex chyli, ſive ſanguinis vitio, ob hujus vel illius viſcoſitatem, craſſitiem, aut contrariam eorum tenuitatem & aquoſitatem, ex defectu debitæ volatilitatis aut ſubtilitatis, vel quòd generati etiam nimiùm diſſipentur, ac deperdantur, quòd fit inediâ, vigiliîs exceſſivis, ſanguinis profluviis nimiis, ſuperpurgationibus, aut etiam poſt labores præſertim diuturniores. 2. Quoad *qualitatem* vitiantur, & ſic morborum cauſæ fiunt ſpiritus, ſi acidi, ac fixi nimis, quod affectibus melancholicis, aut impuri, minúsque lucidi, quod deliriis, aut acriores juſtô, atque nimiùm ſulphurei extiterint, quod ſcorbuticis & hypochondriacis proprium eſt, ac familiare. 3. Quoad *motum* peccant, morborúmque cauſæ evadunt ſpiritus iterum dupliciter pro diverſitate motûs ipſis propriè competentis, in quantùm is vel *elaſticus*, vel *irradiativus* dicitur, hic eſt, quô ſpiritus animales ad corporis noſtri per nervos influunt, ille verò, quô omnes ſpiritus noſtri in omnem ſpatii dimenſionem ſeſe expandere nituntur. Poteſt autem hic ipſe motus ſpirituum ſic dictus elaſticus rurſus dupliciter vitiari, & vel nimiùm expanſus eſſe, ùt eſt in febribus continuis acutis & ardentibus, vel nimiùm oppreſſus exiſtere, quod maximè in malignis ac peſtilentialibus febribus contingit. Qui dicitur irradiativus, atque ſpecialiter animali competit ſpiritui, nunc pariter etiam vel deficit, ùt in affectibus ſoporoſis v. g. apoplexia, lethargo, caro, paralyſi, vel præter naturam augetur in vigiliis nimiis, vel tandem depravatur in vertigine, tremore artuum, convulſionibus, atque omnibus motibus convulſivis.

§ 2. Dum autem ſpiritibus quantitate, qualitate, ac motu

motu ita peccantibus potentiam attribuimus cum Potioribus morbos generandi , hoc intelligendum non eſt cum Carteſianis , ac quibusdam Modernis in hoc ſenſu , ac ſi cauſa illi forent formalis morborum , id eſt principium vitale formale , primáque radix omnium actionum obſervabilium , eoquòd ex principiis noſtris phyſicis , ùt aliunde conſtat, anima totum corpus ſecundùm omnes partes ſolidas ac continuas informans pro tali ſeu formali operationum omnium , adeóque vitæ , ſanitatis , atque morbi cauſa unicè habenda ſit , ipſi autem ſpiritus principium ſolùm inſtrumentale vitale conſtituant, quapropter etiam dicta ſpirituum vitia pro morbis haberi nequeunt , quod volunt tamen quidam ex Recentioribus. Præciquè autem Helmontiani de iſtis ſpirituum vitiis ſingularem fovent opinionem , iisque plurimùm tribuunt , quoniam verò ſpiritus & Archeus ipſis idem ſonant , ab hujus per varias ideas archeales dictas corruptione morbos quàm plurimos provenire contendunt , ab Helmontio propterea archeales dictos , prout demonſtrare conatur Tractatu de ideis morboſis , & morbis archealibus. Contra quem Archeum exorbitantem tamen, vel deficientem tanquam variorum morborum cauſam egregiè diſſeruit Petr. Guiſſonius in epiſtolica diſſertatione de tribus principiis , quæ Petri Poterii operibus medicis Part. 3. p. 20. ac ſeq. annexa eſt. Sed ſciendum inſuper, vocabulum hocce , & nomen Archeus eidem frequentiſſimum eſſe , adeò quidem , ut jam cauſam aliquam efficientem internam totius mundi , jam etiam particularem quandam ſingulorum corporum naturalium ac præſertim animatorum intelligat , unde univerſalis ille Archeus influus ipſi dicitur Tractatu Archeus Faber §. 8. Et hic fortaſſis eſt illa Modernorum aliquorum anima Mundi , aut æther , vel ſpiritus æthereus omnia entia corporea permeans, & omnia in omnibus perficiens. Qui verò ſecundùm illius hypotheſin particularis eſt, iſte materiæ illius ſubtiliſſimæ univerſalis ac æthereæ particula eſt , & ex auræ vitalis velut materiæ cum imagine ſeminali , quæ eſt interior nucleus ſpiritualis fœcunditatem ſeminis continens, connexione conſtat, ùt loquitur loco citato §. 4. omnis motûs in materia opifex, qui pro varia organorum ſtructura mechanica in viventibus v. g. in leone rugit, in aſino rudit, in equis hinnit , in plantis autem vegetat,

cœterorúmque mirabilium in corporibus phyſicis effectuum ac phœnomenorum auctor exiſtit. Et hinc eſt, quòd alii etiam per Archeum ſubin totam etiam individui alicujus naturam intellectam velint, quod vel ideò fuſiùs non nihil hîc deducere, & Helmontianorum & aliorum de Archeo ſententiam, ejúsque acceptionem variam exponere libuit, ut quæ circa illum tam hîc quàm alibi controvertuntur, faciliùs intelligantur.

§. 3. Neque tantùm partes fluidæ corporis humani, quas hucusque exegimus, earúmque perverſi motus, ſed etiam ſolidæ, harúmque tonus vitioſus ſeu atonia ad variorum morborum generationem concurrunt, quemadmodùm eundem in ſtatu naturali conſtitutum in conſervanda ſanitate maximas etiam vires habere diximus in Phyſiologia. Duplici autem modo tonus ſolidarum partium à ſtatu naturali in præternaturalem deturbari, atque ita vices cauſæ morboſæ ſuſtinere poteſt, dum vel ſtrictior ille evadit, ac intenditur, vel laxior, ac remittitur. Si intendatur nimiùm, aut ſtrictum peccet, ſive in toto, id eſt, per univerſi corporis canaliculoſam, tubuloſam aut nervoſam compagem, ſive in parte tantùm ſanguis celeriùs inde, atque impetuoſiùs movetur, ùt enim liber ac moderatus ſanguinis & fluidorum curſus â proportionata ſolidorum in corpore, quæ recipiunt, impellunt ac transmittunt humores, ſyſtole ac diaſtole ſeu conſtrictione & relaxatione dependens ſanitatem & correſpondentes huic ſecretiones aut actiones adjuvat ac promovet, ita immoderatus aut impeditus etiam eorum circulus ab improportionata eorundem vel in corpore univerſo, vel certis tantùm aut determinatis hujus partibus contractione aut relaxatione (ſeu diminuta ea ſit, ſeu aucta) inductus morbos efficit, actionésque corporis noſtri valdè turbat, & immutat. Obſcurum proin nemini ampliùs eſſe poteſt, etiam motus ſolidarum partium, per quos hîc propriè tonum intelligimus ſive priori, ſive poſteriori modo vitioſum ob proportionem ſuam vel deficientem vel excedentem nimis cauſam morbi proximam, quâ poſitâ ponitur, & quâ ſublatâ tollitur rurſus, ſæpiſſimè conſtituere, quamvis is ipſe, ùt alibi jam inſinuavimus, reſpectu alterius ac prioris morbi ſymptoma exiſtat.

§. 4. Atque ut â generalioribus ad particularia deſcendamus, advertendum ſpecialiter eſt circa determinatas corporis partes, quò

quò magis harum aliquæ compoſitæ ſunt ex nervoſis, acutæque ſenſationi idoneis membranis, eò magis etiam illas ſtricturis ſpaſticis ſubjacere, hinc eſt, quòd nulla tam gravibus ſpaſmis ſubjecta & obnoxia ſit, quàm ipſe ventriculus cum inteſtinis, quia iſthæc viſcera, eorúmque canales ex membranis valdè nervoſis ac maximè ſenſibilibus conſtructi ſunt, quod dolores colici, affectus hypochondriaci, variique alii ſpaſmodici morbi paſſim teſtantur, quorum omnium primaria ſedes ac quaſi campus, ubi ſecundùm Cl. Hoffmanni phraſin tyrannidem illi ſuam potiſſimùm exercent, in dictis ſolùm partibus quærendus eſt, & quoniam mira etiam eſt earum conſenſio cum aliis principalioribus corporis partibus, v. g. cum capite, pectore, renibus, hepate, idque propter nervum communem intercoſtalem, mirum videri non debet, quòd tam multa, tam varia atque gravia ſymptomata his affectibus communiter jungi ſoleant. Ordinariò autem per ſpaſticam inteſtinorum conſtrictionem non ſolùm flatus includuntur, & alvus adſtringitur, ac fœcum excretiones cohibentur. Contrà, ſi talis accidat ductibus urinariis, aut ipſius veſicæ orificio, urina vel cum dolore aut difficultate redditur, vel omninò ſæpè intercipitur ac ſupprimitur, quod de aliis quoque viis, præſertim verò de canalibus bilem ex hepate in duodenum devehentibus ſciendum eſt, qui ſi ſpaſticè conſtricti fuerint, bilis ad inteſtina deſcenſus impeditur, quæ dum ita ad ſanguinem regurgitat, facilè Icterum progenerat. Quæ in ipſo capite contingit partium ſolidarum ac nervoſarum contractio nimia, varia ejusdem mala poſt ſe trahit, præprimis autem, cùm principium nervorum, atque meninges cerebri, & ex his etiam dura mater ſpaſticè afficitur, ſpiritus animales in membra motibus voluntariis inſervientia rapidiſſimè influunt, eorúmque muſculos fortiùs diſtendunt, trahunt, conſtringunt, & agitant, atque ita varios motus epilepticos inducunt, convulſivos autem, ſi ſpaſmus ille ea ſolùm nervorum paria occupaverit, quæ ex ſpinali medulla prodeunt, ac ad certas tantùm partes abeunt. Inter cœtera frequenter porrò accidit, quòd ex ſpaſmo cutis extima atque deliteſcentes ſub ea tubuli excretorii ac pori occludantur, unde materia excrementitia omnis ad intrò repellitur, & omnis generis febres progerminantur.

§. 5. Verùm enimverò, quàm noxius eſt ſanitati hominis, quámque potens in generandis morbis ſtrictior partium ſolidarum tonus, tam graviter etiam lædit eandem, neque pauciores, aut minores effectus morboſos edit à contrario languidior ac debilior illarum ſyſtole ſeu laxitas aut reſolutio nimia, dum, quantum prior motum fluidarum accelerare poteſt, tantùm poſterior eundem vel univerſaliter, vel particulariter impedire ſolet, ac retardare, ex quo ita retardato diverſi humorum decubitus, infarctus & obſtructiones viſcerum, indurationes, ac corruptiones eorum promanant, maximè verò in renibus ob difficiliorem ſanguinis ex atonia eorum tranſitum, tumores, inflammationes, mictiones cruentæ atque exulcerationes cum calculoſis concretionibus proveniunt. Sic etiam, ſi nimia ſubſit laxitas glandularum, humores copioſiùs affluunt, horúmque excretiones immodicæ ac præternaturales contingunt, quales ſunt illi effectus omnes, quos priùs de lymphæ motu ex ejus vitio retardato recenſuimus. Atque hæc ipſa cauſa eſt, quòd in naribus præſertim ac faucibus, inguinibus, axillis, atque omnibus partibus glanduloſis inſignes quandoque tumores oriantur, ùt in lue venerea præcipuè videre eſt, qui dein fœdiſſimam putredinem concipiunt, ægrósque miſerrimè cruciant, quòdſi enim ex glandularum tono laxato lymphæ per ſua vaſa tranſitus impediatur, eáque in iisdem ſtagnet, & obſtructiones ac tumores producat, aliter fieri haud poteſt, quàm quòd diutiùs ſtagnans acorem tandem contrahat, erodentem naturam induat, & ſic ſolidam earum ſubſtantiam depaſcatur, dictóque modô corrumpat, ita quidem, ut quò majores glandulæ obſtruantur, eò magis, ùt diximus, liber lymphæ circuitus impediatur, eòquod graviores exulcerationes, abſceſſus, & apoſtemata emergant. Omnes autem tales tumores ſive dein in collo, aut ipſa cute, vel artubus hæreant jam inſtar globulorum molles, mobiles ac rotundi, jam majores etiam, jam minores interdum ovi columbini magnitudinem adæquantes aut ſuperantes, omníſque doloris expertes, ſive in aliis partibus in conſpectum veniant, quamdiu non tolluntur, & laxior, qui ſubeſt, tonus auffera-tur, debitáque iisdem ſtrictura reſtituatur, tamdiu iſtorum malorum curatio perfecta ſperanda non eſt.

§. 6.

§. 6. Unde ſufficienter conſtat, in Syllabum cauſarum morbificarum venire neceſſariò ipſas etiam partes ſolidas, eſſéque maximæ conſiderationis in morborum ætiologia, cùm non ſolùm pars una p. n. affecta, & inflammata v. g. ſit cauſa alterius vicinæ inflammationis, ſed & quàm maximè quoad tonum vitiata ſi fuerit aliqua, vitii morboſi in parte alia author exiſtat, ùt oſtenſum eſt. Atque hoc etiam unicè in cauſa eſt, quòd plerique RRes iique celebratiores ac verè ſcientifici cum Cl. Hoffmano, aliiſque Syſtematis Tritûs Patronis tam ſedulò, & tam frequenter inculcent, ut motuum, qui in machina noſtra corporea morbos efficiunt, vel etiam vitam ac ſanitatem conſervant, ſub hac conſideratione ſpecialis habeatur ratio, eorúmque naturam, leges, atque affectus probè intelligere ſatagat Medicus, qui cum certitudine agere, ac feliciter procedere tam in tuendi, quàm medendi methodo voluerit, ſicuti enim in Macrocoſmo ſecundùm certas leges fiunt, ac peraguntur motus omnes, atque conſtantes in eodem effectus promunt, ita etiam in Microcoſmo ſeu homine tam illi, qui actiones ſecundùm ordinem fieri jubent, quàm alii, qui has ipſas lædunt ac turbant, certîs legibûs continentur, perficiuntúrque, ut ita, cùm ſingula in corpore noſtro mechanicè ſive juxta certam menſuram ac proportionem motuum inter fluida & ſolida peragantur, illam in corporibus animatis ac vivis mechanicam, motuúmque, qui ab ea pendent, tantáſque mutationes efficiunt, rationem habere, omníque poſſibili diligentia attendere jam omnibus iſtis neceſſarium videatur, quod profectò ſi non aliunde, ſatis manifeſtè tamen apparet ex eo, quòd virium defectus & lapſus in ſenectute ſit ordinarius, atque omnibus hominibus, etſi aliàs temperatiſſimè vivant, & regulas diæteticas exactiſſimè obſervent, etſi aëre puriſſimo ceu virium ac ſpirituum pabulô optimô fruantur, alimentis evchymis & evpeptis in copia debita veſcantur, ac perfecta etiam mentis tranquillitate gaudeant, mors nihilominùs evitari haud poſſit, ſed extrema ſenectus, & vires & vitam tandem aufferat. Quare non in fluidis tantùm, ſed & in ſolidorum inſuper ſtructura & ſtrictura, utpote quæ ſecundùm ætatis curſum naturalem ſucceſſivè valdè immutatur, quemadmodùm horum effectuum ratio quærenda ac eruenda eſt, ita eadem in contraria quoqeu

 viven-

vivendi ratione atque ſtatu præternaturali morborum cauſa evadit frequentiſſima, cujus neglectâ attentione in pleriſque morbis præſtantiſſima, ac planè neceſſaria indicatio ſæpè negligitur.

QUÆSTIO II.

De Calculo ùt Cauſa morbifica in ſpecie.

SUMMA.

1. Quid Calculus, qualis, & quomodo conſideretur hoc loco? 2. Quæ ejus materia, & cujus natura? 3. Ubi potiſſimùm in corpore humano reperiatur? 4. Quid de arenulis, ſabulo & aliis concretis lapideſcentibus ſentiendum? 5. Quomodo generetur & quæ ſint cauſæ Calculi?

§. 1.

SEnſibus patet, Calculum eſſe ſubſtantiam quandam ſolidam ac lapideſcentem, probabilius ex ſale tartareo, particulis ſcilicet terreo-ſalinis conflatam, quibus parùm ſulphuris occulti junctum ac maritatum eſſe deprehenditur, adeóque materiam excrementitiam duram, magìs vel minùs concretam, compactam ac condenſatam, ex portionibus excrementitiis, ſalinis, fixis nimiùm, ac terreſtribus, mixtis ſulphureis & intervenientibus quandoque lentis etiam, & viſcidis maſſæ ſanguineæ heterogeneæ, atque ſufficientibus particulis activis deſtitutæ compagem facilè promoventibus in diverſis, uti dicemus, locis collectis, ibíque ſubſiſtentibus ac coagulatis, lapidúmque ſive teſtarum inſtar induratis genitam. Dixi inter cœtera magìs vel minùs concretam, compactam, ac condenſatam ideò, quòd durities ejus non ſemper eodem modo comparata ſit, cùm jam plùs, jam minùs durus ac friabilis, jam etiam (quod ſæpiùs fit) duriſſimus exiſtat, ut non niſi cum difficultate conteratur. Pro deſcriptionis hujus cla-

clarioris intelligentia ſervient, quæ habet Williſ. Exerc. de fer-ment. c. 2. & 12. atque de Urin. c. 5. Præterquam autem, quòd calculus humanus, præcipuè qui in veſica adhuc latitat, cauſa ſæpè morborum exiſtat, ſub qua ratione etiam à nobis hic principaliter conſideratur, ùt remedium tamen contra non leves morbos inſervit, vísque medicamentoſa ſpeciatim contra febres contagioſas ipsámque peſtem ob copioſas, quam in eo contineri exiſtimant, volatiles particulas ſalinas à non nullis adſcribitur, & quoniam ad modum aliorum lapidum Bezoardicorum ex multis, iisque immediatè ſibi ſuperincumbentibus cruſtis compaginatus eſt, bezoar microcoſmicum appellatur. Attamen, ſi calculus conſideretur, quatenùs non ampliùs in corpore, ejúsque cavitatibus hæret, ſed actu jam excretus eſt, jam non ampliùs ad morbi cauſas, ſed ad ſymptomata, & quidem in excretis toto genere juxta antiquorum loquendi modum præternaturalibus erit referendus.

§. 2. Facta hic deſcriptio fuſior ſatis declarat, quæ ſit materia calculi, quam etiam oculis cernere licebit illi, qui matulam in qua urina diutiùs aſſervata fuerit, intueri, tartarúmque in ea ad latera & fundum tenaciter adhærentem contemplari voluerit, qui, cùm à frigore tantùm proveniat, ac de ſalina, ùt diximus, indole & proſapia potiſſimùm ſit, more aliorum ſalium aut mixtorum ſalinorum in aqua calida rursùs reſolvi poteſt. Ex hac ipſa, & non alia materia calculum conſtare nobis veroſimilius videtur, nam licèt talia ſubjecta, à quibus talis urina deſumpta eſt, non ſint actu calculoſa, magnam tamen diſpoſitionem habent ad calculos generandos, quibus pro hic & nunc deeſt ſolùm concretio, non verò ipſa materia calculoſa, quæ, cùm magnam habeat analogiam cum vini tartaro, non tantùm nomen ab eo accepit, ſed etiam ejusdem naturæ & quidem acidæ plùs minùs fixæ quoad portionem ſuam ſalinam eſſe, analyſi oſtenditur chymica, & rectè ſtatuitur ac confirmatur experimentô à Cl. Hoffmanno inſtituto, quô oſtendit Vir iſte experientiſſimus, quòd calculus deſtillationi ſubjectus Spiritum quendam præbeat acidum acrem, qui capiti ſuo mortuo denuò ſuperfuſus priſtinam illi duritiem ac lapideſcentiam inducit. Sic legitur itidem in Actis Haffnienſ. Vol. 3. obſ. 70. materiam calculi mucilaginoſam excretam

ſtatim

ſtatim ab aëre externo in calculum flavum obriguiſſe, cujus non alia ratio ſubeſſe videtur, quàm quòd materia iſta principio tartareo, atque acido coagulativo lapideſcente fœta accedente aëre externo frigido, atque acido adhuc magis ſiccante ac condenſante aucta mox ita concreverit ac condenſata fuerit, uti priùs in arenularum ac ſabuli ceu portionum ſalinarum concretione in matulæ lateribus ac fundo ope frigoris externi, utpote cujus ſolius effectus illa ſunt, fieri obſervamus.

§. 3. Generatur autem & reperitur calculus non ſolùm in renibus & veſica urinaria, utpote in quibus ij frequentiſſimi quidem ſunt, atque ob doloris, quem in his partibus inferunt, atrociam & vehementiam notiſſimi, ac omnium moleſtiſſimi, verùm etiam in aliis corporis humani membris ac cavitatibus, ut in cerebro, oculis, palpebris, lingua, tonſillis, pulmonibus, corde, arteria magna, Vena portæ, venis hœmorrhoidalibus, mammis, ventriculo, inteſtinis, meſenterio, hepate, liene ac utero talem materiam duram concretam excrementitiam productam ac inventam eſſe Practicorum obſervationes teſtantur, uti apud eoſdem legere eſt, quarum plures citat inter alios Joan. Conrad. Dieterich. in Jatreo n. 503. quibus maximè addantur illæ, quæ in Ephemerid. natur. Curioſ. tom. 1. 2. & 3. adducuntur. Præter iſtos omnes tamen inſuper maximè notabiles ſunt, ac ſingulare quid habent illi calculi, qui in veſicula fellea ſubinde inveniuntur, ac communiter flavi coloris, amari ſaporis, ac pondere leves deprehenduntur, propter quod & ſpecialem virtutem in curando ictero poſſidere dicuntur, adeò nempe calamitatibus ſubjacet corpus noſtrum, ut præter alios morbos innumeros, quibus aliàs variis modis obnoxium eſt, hæc inſuper monſtra alat, & inutiles ſibi ſarcinas intra ſua viſcera foveat graviſſimorum ſæpè malorum ac ſymptomatum cauſas.

§. 4. Summam cum calculis affinitatem & connexionem habent arenulæ, utpote quæ eandem materiam ac cauſam agnoſcunt, per hoc ſolùm differentes, quòd in grandiores necdum lapillos excreverint, ſed ſabuli inſtar adhuc permanſerint, à quibus tamen ùt plurimùm calculi foventur, iiſque materia ſuppeditatur, adeóque, ſi non formaliter calculi dicendi ſint, ſaltem ad

ge-

generationem ipſorum concurrentes prodromi dici poſſunt, ac materialiter idem ſunt. Eodem modo res comparata eſt cum tophis podagricorum aut arthriticorum, in quibus pariter materia quædam dura calculoſa, vel potiùs gypſea & calciformis continetur, qualis in illorum juncturis & articulis concreſcere ſolet admodum illius, quæ in vaſis æneis, cùm aqua in iis coquitur, ſubſidet & accreſcit. Et licèt aliqui à calculis iſtorum materiam diſtinctam eſſe velint, id tamen ſine fundamento efficaci dicunt potiùs, quàm oſtendunt, cùm contrarium colligatur ſatis ex eo, quòd, qui podagrici & arthritici ſunt, facilè fiant calculoſi, ac viciſſim calculoſi evadant ùt plurimùm arthritici, indiciô nobis certô, eadem producta morboſa ab una eadémque cauſa provenire. Quare pituita gypſea ſic dicta, de qua, ubi de Cacochymia inſipida egimus, huc quoque poterit reduci.

§. 5. De modo generationis ac cauſa calculi diviſæ ſunt Auctorum opiniones, ſive Antiquos & Galenicos, ſive RRes ac Modernos ſpectes. Ex hucusque dictis tamen ſufficienter deduci arbitramur, modum ejus ac cauſam, quantùm iſta inter Medicos tam hujus, quàm antiquioris ævi controverti ſolent, materiæ ſic dictæ tartareæ fæculentæ, ac limoſæ, quæ ſub fluoris quidem ſchemate in ſanguine continetur, & in renibus, eorúmque ſubſtantia aut pelvi transcolato ac præcipitato ſero relinquitur, reſtitat, & ſucceſſivè per factam identidem novæ ac novæ conſimilis materiæ adjectionem ita tandem adaugetur, donec in iſtam lapideſcentem, quam calculum dicimus, ſubſtantiam condenſetur ac coaguletur. Cauſa verò coagulationis præcipua eſt illud ipſum, quod ineſſe diximus, principium acidum coagulativum, concurrentibus ſpecialiter ac plurimùm contribuentibûs præter improportionem propriam viarum, per quas tranſit, anguſtiâ, renum calore, præcipuè autem ſpasmodica ab arenulis plùs minùs aſperis & conſtanter irritantibus fibrarum nervearum in iisdem contractione, vel etiam renum debilitate, id eſt, tono eorum relaxato, atque ita debilitato, diſpoſitione hæreditaria, & calculoſa potiſſimùm præſente; dum acidum vitioſum ea primis viis ob ſtomachi vitium aut errorem præcipuè dilapſum, reliquis corporis partibus communicatur, ubi portiones craſſiores ac terreſtriores eidem ſe ſe jungunt, & quid quid unioni conveniens at-

que aptum invenerint, ad ſe rapiunt, & ſic in unam maſſam coëunt, ſimiléque priori coagulum lapideum conſtituunt. Ubi jam pro noſtro foro Theorico, & quantùm materia iſthæc ad nos ſpectat, non opus eſt prolixiori ventilatione ac inveſtigatione, quid ſentiendum de ſpiritu aut principio non nullorum lapidifico, vel Paracelſi Tartaro aut Duelech Helmontii, pituita Galenicorum, calore nimio aut frigore juxta eos ad calculi concretionem concurrente, cùm omnes iſtæ explicationes debito modo intellectæ à noſtra, quæ totum chymico-mechanicè exponit, reipſa non abludat, ùt patet conſideranti; ſupponimus enim cum Chymicis, quod & demonſtratum habemus ex adducto priùs pro natura calculi acida quoad portionem ejus ſalinam Cl. Hoffmanni experimento, materiam illam calculoſam principio quodam acido ac coagulativo fœtam eſſe, quod cùm coagulandi ac condenſandi in ſe virtutem contineat, ipſam de ſe ac naturaliter pronam reddit, & diſpoſitam ad debitam lapideſcentiam eò citiùs ac faciliùs inducendam, ſi & reliquæ, quas enarravimus, concauſæ ſimul concurrerint. Hinc benè prælaudatus ſæpius Cl. Hoffm. vero ſimile eſt, ait, ſal acidum in fluoribus corporis undulans, ſi involvatur particulîs viſcoſîs terreîs fixîs conſtituere ſolidum corpus, non ſecùs, ac videmus ſal tartareum generari, quando vino præſertim magìs acidulo ovum ſeu teſta ovi imponitur.

QUÆSTIO III.

De Vermibus aut Lumbricis ùt morborum Cauſis in ſpecie.

SUMMA.

1. Quid Vermes aut Lumbrici, & in quanam corporis parte potiſſimùm reperibiles ſint? 2. Quæ horum differentia? 3. Quis ortus, & quæ cauſa?

§. 1.

§. 1.

QUemadmodùm ex Practicorum obſervationibus nobis certum eſt, in omnibus ferè corporis humani partibus calculos generari poſſe, ùt quæſt. præced. §. 3. vidimus, ita ex eorundem relationibus comprobatum habemus, vermes, qui communiter etiam lumbrici dicuntur, & revera inſecta quædam ſeu animalcula ſunt propriâ vitâ gaudentia toto genere præternaturalia, vix non ubique & in potioribus corporis noſtri partibus generari ac reperiri, cùm nec cerebrum, nec cor, nec pericardium, ùt teſtatur de hoc ſpeciatim Sylv. L. 1. Prax. c.35. §. 12. nec renes etiam juxta eundem Lib. citato c. 55. §. 54. nec aliæ juxta alios partes ab iis penitùs immunes ſint, quamvis frequentiſſimè & ordinariè inteſtinorum ac ventriculi hoſpites ſint & inquilini ſatis moleſti, atque ingrati plurimorum morborum ac ſymptomatum, præſertim dolorum inexplicabilium, pavoris in ſomno, motuum convulſivorum & epilepticorum authores potentiſſimi, quorum doctrina aliàs etiam Pathologia, aut intemperies animata à quibusdam appellatur. Sciendum tamen, quòd alia inſecta aut animalcula viva, quæ extra corpus, id eſt, in ſuperficie corporis ac cutis tantùm hærent, ùt pediculi, platulæ, dracunculi, ſirones ſeu acori, crinones vel etiam vermes dorſi non ſint hujus loci ac conſiderationis inter cauſas morbificas, quamvis & iſti, de quibus nobis hic principaliter ſermo eſt, quandoque etiam ad ſymptomata in excretis vel retentis ùt calculi referantur, ac referendi ſint, ùt ſuô locô ſatis patebit.

§. 2. Qui in inteſtinis generantur, ac ibidem ſpecialiter hoſpitantur vermes, non tantùm in magna quantitate, ſed etiam diverſæ figuræ, ac magnitudinis inveniuntur, qùam ob cauſam etiam à Practicis in tria notiora genera diſcernuntur, quorum primum ij conſtituunt, qui in inteſtinis tenuibus plerumque nidulantur, aliquando tamen etiam ventriculum ſubeunt, unde interdum per os rejiciuntur, quibusdam etiam è naribus egrediuntur, frequentes tam pueris quàm puberibus. Oblongi iſti ſunt ac rotundi, figura ſua lumbricos terreſtres æmulantur, atque longitudinem ſpitamæ quandoque excedunt germanicè Spull-Würme

 dicti.

dicti. Secundi generis ſunt lati vel tæniæ aut faſciæ, ob figuræ, quam referunt cum ſemine cucurbitæ, ſimilitudinem cucurbitini appellati, noſtro verò idiomate die Bändl-Würmb/ qui quidem prioribûs rariores ſunt, attamen curatu etiam difficiliores, & moleſtiſſimi & longiſſimi, ita quidem, ut horum aliqui non rarò ad aliquot ulnas aſcendere, & quinque, ſex, aut ſeptem ſua longitudine excedere ſoleant, quin imò, ſi fides eſt habenda Plinio Lib. 11. hiſtor. natural. c. 33. tricenum pedum tæniæ ventris viſæ ſunt, interdum & plurium, è quibus, qui breviores ſunt, fæminæ, longiores verò mares vocantur. Hi quamvîs per totum inteſtinorum tractum vagentur ſubinde, præſertim tamen in craſſis ſedem ſuam figunt, iisque arctiſſimè cohærent. De lumbrico lato ſcripſit fuſiùs Eduardus Tyſon Medicus Londinenſis, qui videri poteſt, ac legi. In claſſe tertia veniunt aſcarides teretes ac tenues vermiculi die Maaden-Würmb nuncupati, qui & ventris tineæ dicuntur, atque in extremo ſeu inteſtino recto ſuum diverſorium habent, à figura pariter ac nido ſuo potiſſimùm notabiles, infantibus & pueris maximè familiares. Nomen ſuum debent unicè Galeno, quod ipſis tribuit in exegeſi, ſunt enim inſtar vermiculorum caſei putridi, ac fidium diſcuſſarum particulas referunt vix conſpicibiles. Quæ aliæ dantur à forma iſtorum omnium deſumptæ differentiæ in obſervationum ac Hiſtoriarum Medicarum Scriptoribus videri poſſunt, juxta quas aliqui rurſus præſertim ex majoribus piloſi, hirſuti, ac cornuti, aliqui etiam ſine, alii cum pedibus fuerunt obſervati. Plura circa vermium in homine gigni ſolitorum deſcriptionem pertinent ad Practicos, qui proin ab eo, cui dicta non ſufficiunt, conſulendi ſunt, quibus jungi meretur ex Antiquis Ulyſ. Aldrovand. L. 6. de inſect. c. 2.

§. 3. De cauſa horum animalculorum materiali ac efficiente res quidem eſt altioris indaginis, & inter Philoſophos non minùs, quàm Medicos ſummè controverſa, è quibus dum quilibet per nos ſuo ſenſu abundare poteſt, miſsîs jam eorum tricîs inutilibûs ex noſtris principiis phyſicis concludimus, ac ſtatuimus, ſponte naſcentia, cujus generis iſthæc animalcula ſunt, probabiliùs ex proprio gigni ſeminio, cùm enim ſemina, quæ vivere hic tutò ex Phyſica ſupponimus, vel in aëre latitantia & cum eodem inſpirata, vel ab inſectis etiam in alimenta depoſita in ſtomachum,

cor-

Rectam Intentionem quotidie saltem
bis renovabo, nimirum primo mane,
et ante studia literarum: ne toti
mihi dies, hebdomadae, aut etiam
anni pereant.

corpúsque noſtrum transferantur, ubi ſi neque fermenti ſtomachici, neque bilis virtute in eodem deſtruantur, inibíque congeſtis pituitoſis, viſcoſis ac putridis humoribus impacta ac involuta hæreant, ac blando partium calore foveantur, captu facilè eſt, quomodo illa ſecundùm activas ac vitales ſuas particulas accedentibus certis ac debitis diſpoſitionibus excitentur, moveantur ac ita evolvantur, ut tandem vivens tale animalculum pronaſcatur, ubi ſatis apparet, materiam lùmbricorum ſeu corticem verminoſum (ſive dein cum aliquibus Galenicorum in pituita viſcida & ſaburra cruda, qualis ex ciborum copia ac varietate in pueris præſertim voracioribus quotidiè congeritur, ſive cum aliis in calida ſicca materia, vel frigida ſicca, quæ ex bile & ſucco melancholico conſtat, ſive denique cum nonnullis ex illis ab omnibus humoribus eos prodire poſſe contendas) ex ſua natura eſſe viſcidam pituitoſam ac crudam magis, quàm alterius generis, atque exinde ſatis probabile nobis redditur, quòd bilis inertia ac defectus cauſa ſit lumbricorum frequentiſſima ſaltem negativa, ùt Praxis docet quotidiana, ita tamen, ut qualis qualis demum ſit materiæ ſic dictæ verminoſæ indoles ac conditio, ſemper ad ſeminium vel manifeſtè vel occultè hauſtum reſpiciendum, ipſúmque principaliter conſiderandum ſit, utpote quod vita in actu primo gaudens illa tanquam cortice involvatur, & incruſtetur. Hinc non abſonum videtur dictum ab Helmontio: ibi eſſe cubile lumbricorum, ubi deficit bilis, iſta namque ceu naturale balſamum, ùt de ea in Phyſiol. diximus, ſuccos corporis noſtri à putredine ac corruptione præſervare maximè apta nata eſt, quæ ſi vel deficiat, vel dicto modo peccet, atque ita uſum ſuum debitè præſtare nequeat, mirum non eſt, ſi talem putredinis ſobolem producat, coadjuvante blando partium calore, qui cauſam ſaltem diſpoſitivam conſtituit iſtorum animalculorum, quæ maximorum ſæpè malorum, ac ſtupendorum & exoticorum non nunquam ſymptomatum cauſa evadunt abditiſſima, adeò quidem, ùt à faſcinatione potiùs exorta credantur priùs, donec tandem apertè ſeſe prodant, cujus exempla varia videre eſt apud Practicos.

QUÆSTIO IV.

De flatibus ut morborum Cauſis in ſpecie.

SUMMA.

1. Quid flatus ac quotuplex? 2. Ubi maximè generentur? 3. Quæ cauſæ illorum nobis ac Modernis? 4. Quales fuerint Antiquis? 5. An flatus formaliter jam inſint cibis? & quare ita fœteant.

§. 1.

FLatuum doctrina maximi eſt usûs in Medicina, accipitur autem iſte in conſideratione medica pro omni congerie halituum in corpore humano genita, ut ita optimè definiatur à Sennerto, quòd *ſit multitudo quædam halituoſi Spiritûs à calore excitata ex materia, quæ in corpore præſto eſt*, quam definitionem etiam RRores ac Moderni fermentationis principiis accomodantes flatus dicunt vapores rarefactos & aëriſatos in copia collectos ſub ſoni ſpecie ex quacunque corporis cavitate erumpentes, quos Helmontius *Gas ſylveſtre* vocat. Quamdiu iſti tam copioſi non ſunt, ut moleſti fiant, & actiones lædant, extra ſphæram noſtram ac limites Pathologicè conſiſtunt, inſtituti enim ratio ſolùm de iis hic tractare jubet, in quantùm hominem lædunt, adeóque in cenſum cauſarum morbificarum venire ſolent, non autem quatenùs ex corpore eliminati jam ſunt, & ita inter ſymptomata in excretis numerantur. Nomine flatûs ergo nobis hic etiam veniunt vapores dicti, à quibus halitus & aura hac ſolùm ratione diſtinquuntur, quòd vapor tenuem, halitus tenuiorem, aura verò tenuiſſimam innuat ſubſtantiam, flatu tamen communiter craſſius quid denotante, qui etiam dupliciter conſideratur, vel prout per inferiora eliminatur, ſive dein eruptio ejus vel cum violentia ac ſonitu aut crepitu in inteſtinis craſ-

craſſioribus per anum contingat, ſive ſine tali fiat, vel quatenùs per ſuperiora ſeu gulam ex ventriculo eructatur, & tunc ſpecialiter ructus vocari conſuevit.

§. 2. Primaria flatuum officina ſeu culina ipſe ventriculus eſt cum inteſtinis, ita tamen, ut ſecundariò etiam aliæ cavitates iiſdem repleantur, ac torqueantur, uti hypochondria teſte Hippocrate, uterus & veſica, teſtatúrque experientia, non ſolùm ex auribus quandoque emitti flatus in tinnitu, ſibilo ac ſtrepitu illarum, ſed etiam ex pene eos erumpere conſtat ex obſerv. 46. ann. 2. Ephemerid. Natur. curioſ. quin imò per ipſos cutis poros eosdem excerni obſervatum eſt, à quibus & vaſa ſanguifera diſtenduntur, ac membranæ ſatis moleſtè inſuper afficiuntur, quæ ſi cum aliis partibus conſentiant, aut communicent, talem quoque moleſtam ac dolorificam ſenſationem per modum ſpasmodicæ contractionis aliorſum transferunt, unde toties audire eſt, flatus nunc in dorſo, nunc in pectore, nunc muſculis, nunc etiam in aliis corporis partibus circumvagari, atque innumeras morbi moleſtias creare.

§. 3. Quamvis plurimi ſint tam ex antiquis, quos inter præcipuè anteſignani noſtri, ac Hippocrates ipſe integro libro de flatibus, Galenus autem L. 3. de Symptomat. cauſ. c. 2. aliique hos ſecuti & ſæpiùs citati Authores, quàm ex RRoribus, è quibus Helmontius de flatibus ex inſtituto fuſiùs tractavit, ac plures cum eodem Moderni, qui generationem flatuum exponere laborârunt, non ultimo tamen loco habendus videtur Williſius, qui cauſas eorum clariùs fortaſſis, quàm quivis alius explicat Pharm. rational. P. 1. ſect. 3. c. 1. cujus nos veſtigiis inſiſtentes cum pleriſque Modernorum antecedentem aut mediatam cauſam humorum ſaburram viſcido-acidam, vel acido-viſcidam, proximam verò & immediatam ipſam talium humorum fermentationem, eámque vel auctam & depravatam, vel diminutam eſſe ſtatuimus. Si enim illorum fermentatio admodùm debilis extiterit, pori ſolidarum partium plùs juſtò conſtringuntur, quibus ita conſtrictis vapores ac recrementa halituoſa minùs exhalare poſſunt, & exitus iis intercluditur, quæ talem non invenientes, & novis identidem per fermentationis motum è materia dicta viſcida ac mucilaginoſa elevatis halitibus aucti in tantùm colliguntur, cumu-

mulantúrqe, ut magno ſæpè impetu in quandam corporis partem aut cavitatem ferantur, ibique vim ſuam exerceant. Circa quos tamen inſuper ſciendum, quòd, cùm per debiliorem fermentationem particulæ humorum non ſatis nec debitè ſubigantur, & comminuantur, neceſſariò ex iis halitus aſſurgant, & vapores aſcendant, atque inde flatus generentur. Quandò verò depravata fuerit fermentatio, quàm citiſſimè è tali ſaburra viſcido-acida tota halituum copia elevatur, quæ rursùs, quoniam per partium tubulos aut poros tam ſubitò diſcuti aut diſpelli nequeat iterum, varias turbas excitant, & illas tragœdias ludunt, quas hypochondriaci ſpecialiter experiuntur, in quibus ex acido vitioſo in primis præſertim viis redundante & in chylo viſcidiore nidulante ope talis fermentationis auctæ & depravatæ copioſos flatus generari obvium eſt, qua propter affectus hypochondriacus paſſim etiam affectio flatulenta ſeu flatuoſa, Hippocrati morbus deſinatorius, ructuoſus, niger appellatur. Atque hinc rectiſſimè pronuntiavit Lindenus, *flatus cruditatis ſobolem eſſe* Exercit 7. §. 45. quæ teſte Plinio 3. de Republ. priſcis ſæculis non adeò cognita fuit, ſed ob deſidiam, & luxum in victu homines lacunarum inſtar aqua flatúque exuberantes coëgerunt præclaros Æſculapii ſucceſſores juxta ejus verba novo nomine flatus ac catarrhos appellare.

§. 4. Deduci itaque ex concluſione hac noſtra facilè poterit, Doctrinam Galenicam circa flatuum geneſin non ſubſiſtere, dum ſubſtituto quidem pro materia horum humore pituitoſo ac melancholico eos tamen à calore debiliori atque imbecilliori reſpectú materiæ illius vel copioſioris vel tenacioris tanquam cauſa efficiente proficiſci exiſtimant, calor enim, qualiscunque is fuerit, ſive fortis, qui vapores ac flatus penitùs diſſipat in illorum ſyſtemate, ſive debilis aut nullus (ubi & frigus intelligimus) qui omninò non excitat aut movet, vitiatæ dictô môdô fermentationis effectus ſunt non minùs, ac ipſi flatus, cui accedit, quòd cholerici etiam, qui naturâ ſuâ aliis longè calidiores ſunt, ſæpè etiam, ac quàm maximè illîs infeſtentur. Nihilominùs negari non poteſt, ùt fatemur lubentes, ex calore debito partium poros blandè, ex debili econtra magis conſtringi & occludi, adeóque eum rationem cauſæ adjuvantis ſaltem, aut diſpoſitivæ habere poſſe,

mi-

minimè verò efficientis ac primariæ, ùt Galenici aſſerunt, & acriter contendunt. Ex dictis

§. 5. Deducitur ulterius ad quæſtionem, an cibis ſaltem illis, qui communiter pro flatulentis habentur, ùt piſis, fabis, lentibus, oleribus omnibus, aliisque viſcoſis, crudis, pinguibus mellitis, aut ſoli aquæ frigidiuſculæ nimium ingurgitatæ &c. flatus jam formaliter inſint? reſponſionem nobis eſſe negativam, eoquòd, ùt priùs advertimus, tunc primùm flatus oriantur, quando hæc & ſimilia aſſumuntur, & quia craſſum ac crudum chylum ſuppeditant, eorum ſucci fermentari incipiunt in ſtomacho, ex qua fermentatione, vitioſa ſi fuerit, vaporoſi illi halitus dein primùm excitantur, ac generantur, qui nullo modo priùs in aſſumptis latuerunt, ùt patet ex eo, quòd aliquis, qui robuſtiorem ac meliorem ſtomachum habet, & hinc aſſumpta quævis laudabiliùs diggerit, flatibûs non ita torqueatur, ac alius debiliorem nactus ventriculum, etiamſi eosdem cum illo cibos copioſos ei flatus generantes ingeſſerit. Verum quidem eſt, ſi multùm aëris cum cibis crudioribus ac tenacioribus ſimul aſſumatur, quòd ille cauſam aliquo modo præbeat antecedentem, eámque augeat, & excitet, ùt Hippocrates dudum annotavit L. de flatibus, in cujus vehementiori inter fermentandum exorto particularum motu inteſtino eorum formalitas propriè conſiſtit. Ratio autem, quare flatus, ſi per poſteriora ſecedant, tantùm ſpirent fœtorem, ex Chymia petenda eſt, unde dicimus, quòd portiones ſulphureæ ac reculæ pingues, ſi ab alcalinis ſolvantur, & deinde ab acidis præcipitentur, enormem fœtorem ſpargant, qualem ſentimus in præparatione croci metallorum aut Reguli antimonii cum antimonio, tartaro, ac nitro parati, ubi ſcoriæ aliud non ſunt quàm ſulphur antimonij ab alcali ſolutum, quod cùm ab aqua ſimplici ſolutum fuerit, neutiquam fœtet, quamprimùm verò iſthæc ſolutio ab acidis v. g. ſpiritu nitri, vitrioli, aut aceto deſtillato præcipitata fuerit, intolerabilis fœtor exoritur. Ita & flatus, cùm bilis etiam cum reliqua materia concurrat, eique unita ſit, ùt ex Phyſiologia ſcimus, cujus ſal volatile, ac reſolutum oleoſum principium, ubi ab acidis in inteſtinis præcipitatum fuerit, tam fœtentem odorem ſpirat, prout Woyt in ſuo Gazo-

phylacio Medico-phyſico hoc tit. explicat, atque in allato paradigmate rem egregiè dilucidat.

SECTIO III.

De Cauſis Morborum in ſpecie.

POſt ſpecialem, eámque fuſiorem cauſarum morbificarum conſiderationem neceſſariò conſequitur, ut de morborum ſpecialium cauſis etiam diſſeramus, atque horum tandem, ſuppoſitô, quòd plenam atque exactam, ſicuti promiſimus, doctrinam pathologicam tradere intendamus, quæ enim hactenùs de morborum cauſis diximus, ita comparata ſunt, ut, licèt earundem ſpecialiorem quoad ſe expoſitionem contineant, nihilominùs reſpectu morborum adhuc indifferenter ſe habeant, eóſque in genere producendos reſpiciant, ut ita viciſſim ac ulteriùs hic oſtendendum jam ſit, quamnam quivis in ſpecie morbus juxta differentias ac ſpecies eorum ſuperiùs propoſitas & uſitatas cauſam agnoſcat & ſupponat. Dum autem ad cauſas morborum ſpecialium hic deſcendimus, primò morbi intemperiei explicandas aſſumimus, ubi, quid propriè ſit intemperies aut morbus ſimilaris, & in quo ſenſu à nobis accipiatur, non opus eſt hic ampliùs repetere, cùm de illo inter morbos in genere, eorúmque differentia eſſentiali abundanter dictum fuerit.

QUÆSTIO I.

De Cauſis Morborum ſimilarium ſeu intemperierum in ſpecie.

SUMMA.

1. Quæ cauſæ intemperierum generatim? 2. Quid fluxio propriè & quomodo explicetur hodie? 3. Quid nobis collectio &

& congeſtio? 4. Quæ cauſæ intemperiei calidæ ſpeciatim? 5. Quæ frigidæ? 6. Quæ humidæ? 7. & quæ ſiccæ? 8. Quid de Veterum Antipraxia viſcerum ſentiendum? 9. Quæ cauſæ morborum occultorum ſic dictorum? 10. Quid Contagium propriè & quomodo communicetur? 11. Quid venenum quotuplex ac qualiter operetur? 12. Unde deſumantur venena in genere, & qualenam ex regno animali petatur? 13. Quodnam ex minerali? 14. Quare minùs rectè aliqua ex hoc proveniens ab antiquis habita ſint? 15. Quale ſit ex vegetabili.

§. 1.

CAuſæ intemperierum (materialium intelligo, non nudarum aut occultarum, quas ſuperiùs rejecimus) fluxio ſunt atque congeſtio ſeu collectio, de quibus tamen ſciendum hoc loco, quòd aliter à Modernis & nobis, atque aliter à Galenicis explicentur; iſti enim, cùm non ſolùm intemperiem cum: ſed etiam ſine materia admiſerint, ac pro morbo ſimilari habuerint, has duas tantùm pro cauſis intemperierum cum materia agnoverunt, reliquas verò omnes, quæ juxta RRores ac Modernos etiam intemperiem materialem producere aptæ ſunt, uti priùs ſuo loco explicavimus, intemperiebus ſuis nudis ſeu occultis attribuerunt. Quibûs tamen & quot modîs fiat fluxio & congeſtio, iterum alio modo explicabimus cum Modernis, quàm à Galenicis & Antiquis factum eſt, qui principiis ſuis philoſophicis innixi omnia per facultates, attractionem caloris, aut metum vacui exponere laborârunt, quæ tamen omnia in hodierna tam Philoſophorum quàm Medicorum hypotheſi haud ampliùs procedunt, ùt ſufficienter apparet illi, qui hæc & alia Antiquorum dogmata cum Modernorum experimentis phyſicis, ac inventis Anatomicis evidentibus ritè combinaverit, quod etiam ex modò dicendis ſatis eluceſcet.

§. 2. Fluxio itaque, utpote quæ frequentiorem, eámque immediatam intemperiei qualiſcunque cauſam ſuſtinet, fit 1. quando ſucci corporis noſtri ſuomet impetu ex orgaſmo & effer-

veſcentia nimia vel fermentatione p.n. aucta ac depravata ad partem aliquam debiliorem, vel natura, vel ex morboſa diſpoſitione talem, ùt partes molles, raras, laxas, aliásque vehementiùs ruunt ac commoventur. Secundò ſi ob talem ſitum aut morboſam ac præternaturalem conſtitutionem, vel pororum vitia humores in ſuo circulo remorantur, ac retardantur, præſertim ſi ipſi craſſiores ſint atque ad motum & circulationem inepti, unde in tranſitu ſuo aliquam ſemper ùt ùt minimam ſui portionem poſt ſe relinquunt, atque ita non ſolùm tumores producere varios, ſed & adjunctam ſpecialiter ſibi intemperiem ſolidorum particulis affricare ſolent. Tertiò. ſi ſubtiliores etiam portiones ad partem aliquam concitantur ac ruunt fortiùs, ídque ob nimium ejus dolorem, quo fibrillæ ſenſiles plùs juſtò vellicantur, unde ſpirituum affluxus copioſior, qui easdem nimis inflando, atque corrugando vaſa ſanguifera comprimunt, & ita liberum humorum circulum impediunt, quo impedito dein vel retardato ſaltem intumeſcentias cum variis intemperiei ſpeciebus, quas ipſis ſolidis partibus imprimere ac communicare ſolent, oriri neceſſe eſt, præſertim cum motus ſanguinis progreſſivus ſufflaminatus in inteſtinum auctum vel depravatum ſemper ſoleat transmutari, ſive dein ſalia exuperantia ſui juris facta in ſe invicem agere queant, ſive à nimia humorum viſcedine incruſtata id facere impediantur, & quoad dictum motum ſupprimantur aut ſuffocantur, prout ex dictis conſtat de motu humorum vitioſo ùt morborum cauſa, ubi omnia fuſiùs explicata ſunt.

§. 3. Altera ſeu collectio, aut congeſtio præter enumeratas modo tres cauſas agnoſcit inſuper aliam, ex qua ortum ſuum ducere poteſt, nimirùm partis cujusdam atoniam ſeu laxitatem ſeu ſtricturam fibrillarum nervearum, vi cujus, quemadmodum de ſolidarum partium tono, ùt morborum cauſa priùs prolixiùs oſtendimus, vaſa ſanguifera ac tubuli vel nimis comprimuntur, vel relaxantur, ex quo liber humorum ac maſſæ ſanguineæ circulus aut commeatus intercipitur, qui, cùm non ritè excernantur aut repellantur, neque partibus ſolidis debitè aſſimilentur, aut aſſimilari poſſint, ſemper magis magisque congeruntur, & cumulantur, donec tandem omninò ſtagnent, sicque diverſos intemperiei morbos parti, in qua talis congeſtio vel collectio contin-

tingit, inducunt, ubi ea cum tota vicinia plùs minùs cum vel ſine inflammatione intumeſcit. Ex qua cauſas morborum ſimilarium chymico-mechanica explicandi ratione ſufficienter itaque conſtat, nulla caloris attractione opus eſſe, ope cujus humores verè attrahi credebant Veteres, niſi quatenus dolorem infert modô priùs adductô, quia talis Galenicorum explicatio cum innegabili humorum circulatione combinari non poteſt. Multò minùs attractrix illa, & expultrix facultas, quas illi indubitanter ſupponebant potiùs, quàm ſufficienter probabant, neceſſaria eſt in reddendis cauſis morbificis, cùm etiam tales, licèt de ſe ſcientia ac prudentia inſtructæ magis hyperbolicè quàm ſcientificè dicantur quidem, non omninò ferant punctum; ponamus enim, quòd dentur, & ſint iſtæ facultates animæ proprietates, ùt docuerunt Galenici, non tamen explicabis, quomodo poſſint augeri vel debilitari? niſi cum Poëtis fingere malis, quàm cum Philoſophis & Phyſicis verè ratiocinari. Inſuper, ſi partis mandantis expultrix tam ſagax eſt, ut ea, quæ ſuperflua ſunt, aut moleſta, in aliam partem transmittat, cur hujus attractrix non contra proteſtatur aut eadem remittit; utpote quæ minori prudentia prædita eſt? aut quî fit, quòd expultrix partis recipientis illa non ulteriùs amandet, vel omninò per vias convenientes è corpore proſcribat? hæc ſanè & plura ſimilia non niſi tardè, ne dicam, ridiculè in ſyſtemate Galenicorum ſolvuntur. Idem eſto judicium de metu vacui humores attrahente, cujus exiſtentia inter non entia à nobis cum Modernis Philoſophis reponitur, prout ex Phyſica naturali experimentali abundè demonſtratum hic ſupponitur. Quàm invalidum autem eſt fundamentum, quo apud antiquiores humorum attractio innititur, tam ruinoſum quoque habetur illud cui eorundem transmiſſio apud eos ſuperſtruitur, niſi partes mandentes ac recipientes conſideret Pathologus tanquam terminos à quo & ad quem, ſeu in quo non raró fomes & minera morbi tanquam cauſa antecedens aut mediata multorum affectuum latet, atque alteri ſubmittitur ac communicatur, ubi verò dictis conformiter explicanda, & cum humorum circulo, atque Modernorum inventis ſeu experimentis anatomicis conferenda ſunt. Reliqua verò, quæ Galenici afferunt, dum humores vel ſua ſponte in partem quandam ruere, vel robore facultatis expultricis cujusdam

partis ad aliam pelli volunt, expoſitiones meræ ſunt ad vulgus, à parte rei nihil explicantes.

§. 4. In ſpecie jam intemperiei calidæ cauſa & quidem immediata ac continens eſt primò motus humorum ac ſpirituum nimius, motus autem, quantùm ſcimus ex prioribus, maſſæ ſanguineæ, ac reliquorum inde oriundorum humorum, eſt rursùs vel progreſſivus vel inteſtinus, ad quem poſteriorem ipſa putredo ſpectat, quæ nil nobis niſi certa quædam fermentatio eſt nativum humorum nexum ac craſin deſtruens ac evertens. De ſpirituum motu ùt morborum cauſa ſuperiùs dictum eſt, ut ita primò motus tum animi tum corporis vehementior, nimiâ agitatione ſpirituum ac humorum febres accendat. 2. Vicinia rei calidæ, & contactus ejusdem, qui irritando ac vellicando fibrillas nerveas, & ſic dolorem inducendo intemperiem cauſat calidam, poteſt autem vel actu vel potentia talis eſſe, ùt patet facilè exemplo intemperiei calidæ ab igne, aëre æſtuoſo, medicamentô calidô ad extra applicatô, vel partibus corporis præter naturam calidis, quæ qualitatem, quam ipſæ habent, vicinis partibus communicant. 3. Conſtipatio vel potiùs pororum cutis conſtrictio, per quam tranſpiratio inhibetur, ac recrementa halituoſa, vapida, & fuligines acres atque calidi in corpore retinentur, uti iis evenire videmus, qui poſt aquæ frigidioris balnea in febres incidunt, quod non tantùm de toto corpore, ejúsque peripheria, ſed etiam de partibus interioribus, atque omnibus viſceribus, utpote quæ juxta Divinum Senem noſtrum tranſpirabilia ſunt, intelligendum eſt, quòd ſi enim humores ad intra nimiùm fermentati & exæſtuantes copiam halituum evaporent calidorum, & iſti retineantur, non niſi fermentationem ſeu motum ſanguinis inteſtinum intendere & augere, atque ita diſcraſiam calidam inducere ſolent, ùt ſuo loco diximus, ad quam etiam aër frigidior ambiens non parùm contribuit. 4. Aſſumpta in corpus calida, ùt alimenta, & medicamenta v. g. aër inſpiratus æſtuans, aromata, Vinum, Theriaca &c. ubi ergo inſtar Canonis univerſalis notandum eſt, quæcunque partes ſanguinis ſalino-ſulphureas oleoſas ac volatiles efferare, adeóque maſſam humoralem ac ſpiritus ipſos in fortiorem ac rapidiorem motum concitare valent, illa omnia intemperiem calidam producere apta

ſunt,

ſunt, morbósque calidos univerſaliter ùt cauſæ externæ efficere poſſunt.

§. 5. Intemperiei frigidæ à contrario cauſa, eáque rursùs immediata ſtatuenda eſt 1mò. humorum ac ſpirituum motus ſuppreſſus ac ſufflaminatus, qui, ùt de eodem ceu cauſa morborum interna ſuprà docuimus, à viſcoſitate, lentore, ac tenacitate humorum ſeu prædominio phlegmatis craſis dependet. Hinc inter corpus noſtrum alterantia ùt cauſas externas referuntur, atque ad intemperiem frigidam generandam concurrunt, quàm maximè omnia frigida ſive actu, ſive potentiâ talia, qualia ſunt inviſcantia & glutinoſa, maſſámque humoralem incraſſantia, per quæ huic, atque ipſis etiam ſpiritibus remora injicitur, eorúmque motus impeditur, ac refrænatur, quorſum etiam ſpectant abſorbentia præſertim exceſſivè & in nimia quantitate ſumpta. 2. Deinde has inter numeranda veniunt ſpecificè ſic dicta narcotica, ſtupefactiva, opiata, papaverina, cinabarina, & ſuccinata motum humorum ac ſpirituum potenter ligantia. Quare canon alter univerſalis hic quoque ſit: omnia ea, quæ modo quocunque partes ſanguinis ſalino-ſulphureas ac volatiles ſufflaminare, obtundere & depauperare poſſunt, & ita ſanguinis ac ſpirituum motum figere atque ſiſtere valent, intemperiem frigidam ſeu morbos frigidos inducere, eorúmque cauſas ſuſtinere antecedentes vel internas ac mediatas, vel externas occaſionales ſeu procatarcticas, quas inter præprimis locum habet copia alimentorum ingeſtorum, quæ, ubi non ritè digeruntur, ſed tantùm in paſtam quandam viſcido-acidam ac tenacem convertuntur, ad ſanguinem translata eundem eodem charactere inficiunt, & ſpicula ſalina volatiliora ſupprimunt in ſuo motu, atque obtundunt. Ita & ipſa ſufflaminata pororum cutis conſtipatio vehemens præſertim in ijs, quibus humores plùs minus frigidi, ſeu craſſi, viſcidi, acidi, aut ejusmodi nimiùm abundant, eoquòd incredibile videatur, calorem nativum, qui juxta nos ab influo unicè dependet, ab eóque ſpecie non differt, ſuffocari influo tamen aucto. Huic accenſeri debet otium, ùt & ſomnus immodicus, in quantùm iſta quoque humores frigidos, craſſos ac viſcidos abundare faciunt. Cœterùm caloris diſſipatio, ſuffocatio, aut extinctio per motum exceſſivum, per animi pathemata, ùt me-

metum, triſtitiam ac mœrorem, unàcum pabuli ſubtractione per inediam huc pariter inter cauſas externas referri poſſunt, modò influus non minùs quàm inſitus calor intelligatur.

§. 6. Intemperiei humidæ cauſa quibusdam eſt ſola aqua, utpote quæ non ſolùm copioſiùs ingurgitata particulas ſalino-ſulphureas, ac volatiles nimiùm obruere, ac diluere potis eſt, & ita intemperiei frigidæ etiam cauſa evadere poteſt, ſed inſuper corpus propriè humidum reddit, aut humectat; Communior tamen tenet, cui & nos accedimus, quòd præter aquam plura adhuc ſint, quæ illud humectare poſſunt, ac ſolent, atque ita nomine humectantium veniunt in Medicina ſpecificè ſic dictorum; an verò talia id præſtent ratione ſolius principii aquei, non diſputamus multùm, cùm res omninò nobis ita comparata eſſe videatur, quamvis non negemus interim, quòd alia etiam pro cauſa diſcraſiæ humidæ haberi poſſint, & habeantur communiter, quæ nomine aquæ non veniunt. Ex præcipuis, quæ cauſam externam conſtituunt intemperiei humidæ, eſt aër humidus inſpiratus, copia ingeſtorum humidorum, ſive alimentorum ſive Medicamentorum, vita otioſa, & ignava, ſomnus plurimus ac immodicus, balnea aquæ dulcis & tepidæ. Atque hæc omnia poſitivè concurrunt, præter quæ juxta aliquos huc etiam pertinet cauſa negativa, ſcilicet particularum ſiccarum aut ſiccantium defectus, quin imò etiam ipſa ſiccantia calida per accidens intemperiem humidam cauſare quandóque ſolent, uti fieri videmus in febribus intermittentibus præſertim, in quibus non ritè tractatis, ſed diſſipatîs nimiùm ſpiritibûs, & ſulphureîs portionibus exhauſtîs, corpus evadit humidum, pedes intumeſcunt, & ſubinde hydrops ſupervenit. Nempe mutant quandoque cauſæ vices ſuas, ut, quæ aliàs caliditatem, aut ſiccitatem per ſe inducere aptæ ſunt, præſentibûs jam aliîs circumſtantiîs frigiditatem, aut humiditatem, atque ita per accidens id ſolùm efficiant. Ex quibus itaque ſatis colligi poteſt, cauſas intemperiei calidæ fieri quoque cauſas intemperiei frigidæ, aut humidæ, quatenùs calorem augendô diſſipant, obruendô ſuffocant, & extinquunt, atque hôc modô craſſos, ac viſcidos humores cumulandô morbos frigidos, aut humidos producunt; ubi valet & illud: quæcunque humidum abundare faciunt, citius intemperiei cauſa exiſtunt.

§. 7.

§. 7. Intemperiei demum ſiccæ calorem præternaturalem internum, qui à ſalium exuperantia, & humorum, ac ſpirituum motu provenit, cauſam internam conſtituere certum eſt; ubi nimirum calor actualiter, ſalia verò potentialiter agunt, dum interim ex iſtorum agitatione nimia ſerum difflatur, & ſanguini ita incoquitur, ut roridô hôc nectare non debitè reficiantur ampliùs, ſed neceſſariò ſqualeſcant corporis partes ſolidæ: Varia rurſus eſt externa cauſa, ex pluribus aliis tamen numeramus aërem æſtuantem, & ſiccantem, quatenùs in particulis ſalinis, ſulphureis ac terreſtribus plùs juſtô refertus eſt, cibum itidem, ac potum parciorem, calidiorem ſicciorem, & fuliginoſum nimis, aut acrem, vinum generoſius, ſpiritum ejusdem, alióſque ardentes, & facilè inflammabiles liquores, aromatica, & piperata aſſumpta omnia, vitam laborioſam, motum exceſſivum, & exercitia corporis vehementiora, vigilias quoque unàcum fortioribus, atque frequentioribus ſudationibus, & nimiis tranſpirationibus, evacuationibus quibuscunque immodicis, curis ac ſollicitudinibus. Inter quæ poſtremum quidem locum tenent, ratione tamen effectûs ſui, atque virium quoad inducendam diſcraſiam ſiccam, vix non prima ſunt balnea mineralia nitroſa, ac ſulphurea, aut diutiùs continuata, aut calidiùs uſurpata, quæ quantam humores ſolvendi, ac diſſipandi, corpúsque exſiccandi vim habeant, quotidiana teſtatur experientia. His nihil inferiora ſunt medicamenta ſudorifera, ſpirituoſiora calidiora volatilia, ſanguinem fortiùs exagitantia, ipſa pariter terrea, & adſtringentia, fibrarum tonum nimiùm coarctantia, & impedientia, quò minùs portiones aqueæ adhærere valeant, quas etiam aut imbibunt, aut abſumunt. Ut ita & hôc locô benè attendendus ſit Canon iſte univerſalis: ſiccam intemperiem cauſare, quidquid corporis noſtri calorem augere, illúdque exſiccare poteſt, unde unde demùm dependeat, cùm ſiccitas ſit lima caloris.

§. 8. Antipraxia illa Viſcerum apud Antiquos ac Galenicos adeò famoſa tanquam præternaturalis, ac morboſa huc aliquô modô reducenda nil aliud nobis eſt, quàm actionum, & Temperamentorum in diverſis partibus, ſpecialiter in abdomine contentis, ſibi vicinis, ac diſpar officium habentibus contrarietas, quæ ab iis ad declarandam in affectibus hypochondriacis, ſymp-

tomatum concurrentium varietatem ſæpè contrariam excogitata fuit, & talis eſt præcipuè intemperies ſtomachi frigida, & hepatis calida, quæ etiam in vulgus notæ communiter incuſantur, prouti in praxi frequenter audire eſt. Et licèt plerique rectè ex RR. noſtrô judiciô eam, in ſenſu à Galenicis intento negare non vereantur, eoquòd ſanguis debitô circulô per corpus, & ejus partes diſtributus proportionaliter omnes, & ſtomachum, & hepar calefaciat, adeóque debitam utriusque craſin ſuſtentet, quod præ cæteris docet Ettmüllerus, nihilominùs tamen univerſaliter accepta iſta ratio inſufficiens nobis videtur; ſiquidem non obſtante illâ proportionatâ convenientiâ temperamentorum, aut temperierum in ſingulis partibus, nihilominùs ſano ſenſu aliqua etiam inter has contrarietas ſtatui, ac ſuſtineri poterit, præſertim ſi ſolidis fundamentîs nitantur, quæ priùs de difficiliori per abdominis viſcera tranſitu ex Modernorum principiis Anatomicis ob illarum partium tonum, niſúmque contrarium adducta ſunt. Ut nihil dicamus, quòd ij, qui ex RR. contendunt, non dari abſolutè Antipraxiam, nobis confundere videantur ſtatum ſecundùm naturam cum ſtatu præternaturali, nam, quamvis concedatur, non dari illam in priori, non ſimul ſequitur, ac ſtatim inferre licet, quòd in poſteriori etiam non occurrat, ubi ob anomalas motûs ſyſtalticî fibrarum directiones, motûs circularis æquipondium tollitur, & ſanguis per partes inæqualiter circulatur, ex qua inæquali circulatione ipſis dein intemperies inducitur, ut ita in hoc viſcere v. g. ſtomacho frigus, in hepate verò calor pro diverſo nimirum per ea motûs humorum vitiô ſentiatur, id quod hypochondriacis, ſcorbuticis, ac hyſtericis commune eſt.

§. 9. Inter morbos, qui partibus ſimilaribus, præter dictos intemperiei, advenire poſſunt, veniunt hic etiam ab Antiquis, & Galenicis occulti vulgò, ac totius ſubſtantiæ dicti; quia omnes juxta hos à cauſis totâ ſubſtantiâ agentibus, id eſt occultas, ac venenatas qualitates (quas ſuô locô de intemperie occulta pluribûs examinavimus, & quæ nobis de ea mens ſit, apertiùs diximus) inducentibus producuntur. Sunt autem iſtæ rurſus juxta omnes ita comparatæ, ut aliæ internas, aliæ externas conſtituant. Pro illis habentur ſpiritus, & humores venenati, horúmque motus vitioſi, poſſúntque illi venenari per communicationem materiæ, vel

vel per ſe venenatæ, vel primùm talis redditæ per corruptionem, ubi talia peregrina miasmata naturalem M. S. ſtatum totaliter invertunt, ejúsque conſiſtentiam nunc diſſolvunt, ceu acerrima, ac corroſiva, nunc acidô quôdam coagulativô facta condenſant ac inſpiſſant, vigorémque vitalem penitùs extinquunt. Ex cauſis morborum occultorum, & totius ſubſtantiæ dictorum externis potiſſima aër eſt venenatus, ſeu peſtilens, qui vel in ſe talis eſt, vel talis redditur, ùt dictum per communicationem; in eo enim res variæ corpori noſtro, aut vitæ infeſtiſſimæ, quæ parva mole, operatione tamen celeri ſummam perniciem inferunt, continentur, atque ex harum Catalogo maximè ſunt exhalationes, aut effluvia aquarum ſtagnantium, paludoſarum & putreſcentium, nunc ſpeluncarum putridarum, ac mineralium, nunc cadaverum non humatorum poſt ſtrages majores in caſtris. In ſe venenatus dicitur in conſtitutione peſtilentiæ, quæ nocentiſſimis ſyderum influentijs tribuitur. Aëri corrupto ùt cauſæ dein jungi debet prava victûs ratio, ob pravam ejus qualitatem, rerum penuriam, ac annonæ caritatem, per quam non minùs humores, ac ſpiritus corrumpuntur, ac venenati redduntur. Duplicis autem generis illud præcipuè venenum eſt, quod ex aquis ſtagnantibus, atque putridis per aërem diſpergitur, quôque inquinatur iſte, ex quo dein Epidemicorum, malignorum, ac contagioſorum morborum origo, cauſáque mediata, ac antecedens petenda venit, nimirum putredinoſo-verminoſæ, vel acris, ac cauſticæ indolis, de qua poſtmodum plura. Hinc eſt, quòd loca paludoſa, in quibus frequenter ſtagnant, & putreſcunt aquæ, valdè inſalubria ſint, ac febres pernicioſiſſimas producant. Nemo autem accuratiùs hanc materiam pertractavit, & melius examinavit, quàm Joann. Maria Lanciſius Cubicularius intimus, & Archiater Pontificius, qui in ſuo de noxiis paludum effluviiſque Tractatu, febrium pernicioſarum, ac caſtrenſium, quæ Romæ in Civitate Leonina dicta ex venenoſis foſſarum aquis, ab initio æſtatis usque ad autumnum graſſatæ ſunt, naturam prolixè exponit.

§. 10. Ut verò, quid per contagium, quatenus inter cauſas hic morbificas venit, atque communicationem particularum venenoſarum dicit, propriè intelligendum ſit, magis fuſiúsque

hic dilucidetur; hinc ulteriùs ſciendum eſt, omne contagium eſſe tranſitum mali ſimilis ægri corporis in aliud corpus diſpoſitum, & quidem vel immediatè, & corporaliter per contactum, vel mediatè, & ad diſtans per aërem intermedium; ex quo patet, ad illud formaliter conſtituendum tria requiri, agens nempe, affectum ipſum, ſeu morbum, & patiens. Primum eſt corpus illud contagioſum, quod alteri, ceu prævie diſpoſito malum, quô ipſum laborat, dictâ ratione communicat, ſeu affectum ſui ſimilem in alio excitat: dico ſimilem, non enim ſufficit ad contagium, ut ſimpliciter cauſet aliquis in altero morbum, ſed opus eſt, ut inducat alteri morbum omninò ſimilem illi, quô ipſe affligitur, ut ita affectus quispiam reſidens in uno corpore ſui ſimilem excitet in alio, quod inter alia morbus per morſum ſerpentis inductus confirmat, quem hic homini ſuô quidem venenô excitavit, non tamen contagiô communicavit, eoquòd ipſe tali non laboret. Alterum affectus eſt, qui communicatur alteri, ubi tamen per hunc non ipſe morbus, quô agens afficitur, ſed aliud quidem ex eodem promanans, ipſa ſcilicet corpuſcula, aut miaſmata maligna è corpore agente emiſſa, in alterum translata, atque vim illam, aut activitatem excitandi in alio ſimilem morbum poſſidentia intelligenda veniunt, quorum actio cùm non occulta, ſed ſatis manifeſta ſit, ùt alibi explicavimus; ſalinæ enim, ac volatilis plùs minùs naturæ ſunt, prout mox dicemus, ad occultas qualitates in ſenſu Galenicorum acceptas minùs rectè refertur. Tertium patiens eſt, ſeu corpus prædiſpoſitum, cui communicatur, & in quo excitatur ab agente contagium, aut affectus: Notandum autem ſpecialiter, hanc prædiſpoſitionem non in ſimilitudine quadam inter miasmata, & patiens, ſed inter agens, & patiens conſiſtere, ea quippe, quæ ſimilia ſunt, à cauſa communi, qualis aër eſt, facilè ſimiliter afficiuntur. Unde petenda etiam eſt ratio, quòd non quivis à quovis ſtatim contagio afficiatur, & in bruta non graſſetur lues peſtilens hominum, ac viciſſim; ſic etiam multa ſunt homini venena, quæ aliis animantibus in alimoniam cedunt, idque ob ſolum principiorum vitalium nexum, ac conſtitutionem diverſam. Per varias autem vias aër virulentis exhalationibûs refertus corporis humani interiora ſubit, quas inter primas tenent cutis ſpiracula, quæ humiditates

ve-

venenatîs vaporibûs inquinatas, atque ex aëre deſcendentes facilè ſuſcipiunt, quod ſufficienter ex balneis, atque Medicamentis Topicis colligitur, & oſtenditur, hinc rectiſſimè Hippocrates noſter carnes appellat attractrices, & ex ventre, & extrinſecùs, quia totum corpus perſpirabile. L. 6. Epidem. ſect. 7 prout priùs jam ex hujus authoritate docuimus. Deinde per os ipſum quàm maximè intrant, ubi, cùm ſalivæ adhæreſcant, eiſque ſeſe inſinuent tales, facilè per œſophagum, præſertim cum cibo, ac potu ad ventriculum deſcendunt, atque intimiora ſubeunt, quod rurſus ſuffragiô ſuô confirmat Hippocr. L. de flat. hîs verbîs: *Omnia, quæ eduntur, ac bibuntur, ſpiritus in corpus inferunt aliquando pauciores, quod vel inde ſatìs manifeſtum evadit, quia plurimæ, poſt cibum & potum maximè, evenire, ac oriri ſolent eructationes, ob diſcurrentem nimirùm aërem incluſum, ubi bullas, quibus incluſus erat, perrupit.* Ubi hoc de animatis ac viventibus effluviis pariter eſt intelligendum, quæ, ſi non per poros cutis, aut ſalivam ipſam, mediante tamen cibo aut potu, in corporis noſtri interiora admittantur. Quare, ut quis in viſitatione ægrorum, & morbîs malignîs laborantium ab imminente contagio ſe immunem reddat, ac præſervet, optimè fit, ſi ſalivam non deglutiat, ſed detentâ in ore Myrrhâ, vel maſticatâ radice Zedoariæ, Angelicæ, aut corticibûs citri, aliîſque alexipharmacîs exſpuat frequentiùs. Sicuti autem per præmemoratas vias venenoſæ, ac contagioſæ maximè, ac facillimè ſeſe inſinuare, atque ad intimos corporis receſſus penetrare ſolent, ita non deſunt aliæ, per quas idipſum fieri poteſt, ac ſæpiùs contingit, & ſunt nares, unàcum auribus, atque pulmonibus; in naribus enim æquè, ac auribus dantur foramina, glandulosîs, ac nerveîs membranîs cincta, prout ex Modernorum obſervationibus Anatomicis, & dictis de auditu, & olfactu in Phyſiol. conſtat, per quæ aër peregrinîs ac malignîs effluviîs effætus ingreditur, intimiúſque propagatur. Quòd verò aër humidus, & vaporibûs nocivîs repletus tum per os, tum etiam per nares, & exinde per laryngem ad pulmones delatus veſicularum iſtorum poros ſubintret, atque ita cum ſanguine miſceatur, ſatis notum eſt ex iis, quæ de reſpiratione, & aëris cum ſanguine miſcela ibidem in Phyſiol. dicta ſunt.

§. 11. Ipſa tandem venena morborum cauſa fiunt, quæ varii generis ſunt, omnia tamen ex ſua natura talia, ùt etiam in parva quantitate ſumpta particulîs ſuîs machinæ humanæ peregrinîs, & deſtructoriîs, citra aliam cauſam manifeſtam corpus noſtrum, ejúsque principia vitalia violenter deſtruere, ínque vitæ periculum, vel mortem conjicere valeant; hinc mole licèt minimâ, activitatis tamen ſunt maximæ. Intelligimus autem hìc per venena non illa contagioſa, maligna, aut venenata miasmata, ùt aliàs vocari ſolent, quæ maximè fermentativæ, ac corruptivæ indolis ſunt, atque in corpore noſtro vel generantur, vel extrinſecùs adveniunt, ac mediante aëre interiora corporis noſtri ſubeunt, aliaque plura, præſertim magis diſpoſita, ac vicina ſuô contagiô inficere poſſunt, de quibus fuſiùs tractat ſæpiùs laudatus Fr. Hoffman. Tom. 2. Medic. ration. ſyſtematic. p. 2. c. 4. pag. 219. ubi de venenis in aëre contentis, ùt Epidemicorum morborum cauſis agit, ſed ea, quæ vix ullô contagiô alios contaminant, niſi hauſta, aut intús ſumpta vel per contactum applicata, vel etiam ictu, ac morſu animalium venenatorum communicata, aut inſtillata, utpote quæ omnia tres pariter notas habent eſſentiales, quibûs ab aliis rebus exitialibus, & naturæ humanæ ſpecialiter inimicis differunt, aut diſtinguuntur, nimirùm quòd primò ſumma partium tenuitate, conſequenter mole etiam minima agant, ſecundò quòd intra breve temporis ſpatium partium ſolidarum, ac fluidarum motus ordinatos, ac proportionatos in corpore univerſo turbent, ac pervertant, & ſic graviſſima ſymptomata, vel mortem ipſam inducant, tertiò quòd in fluidum tenuiſſimum, partésque maximè nervoſas vim, ac virulentiam ſuam exerceant. Unde colligitur, quòd, licèt plura in ampliſſimæ naturæ regno inveniantur, quæ maximè nociva ſunt, ac breviter interimunt, qualis eſt aqua frigida corpore ſudore diffluente immoderatiùs ingurgitata, frigus ſummum, & acerrimum, vel ſpiritus vini aut mineralis acidus, v. g. oleum vitrioli largiùs ingeſta, ea tamen venenorum claſſi propriè annumerari, ac adſcribi non poſſint, eò quòd dictîs characteribûs tanquam præcipuîs proprietatibûs venenorum careant, quorum rursus alia ſingulariter fermentativa ſunt, & humores reſpicientia, alia corroſiva, & acerrima partes præcipuè ſolidas depaſcentia, alia vaporoſa, ſtupe-

peſactiva, ſpiritus inprimis ſopientia, ac mirum quantùm figentia, alia demum mixta, atque de omnibus his effectibus participantia, quorum tamen omnium actio ad portiones ſalino-ſulphureas plùs minùs tales, ùt diximus reduci debet, atque ita manifeſta, non occulta dici, quin opus ſit in eorum virtutibus explicandis cum Antiquis ad occultas qualitates recurrere. Et hinc alia magis cita & activa, alia lenta magis ac temporaria, efficaciæque remiſſioris ſunt, quæ breviùs, aut tardiùs enecant, atque nomen ſuum propriè merentur.

ſ. 12. Quodvis autem naturæ Regnum ſua peculiaria venena profert, ut ita tam ex animali, quàm vegetabili ac minerali ea deſumantur, & quidem ex hoc ultimo plura, ac potiora, licèt nec pauciora ſint, quæ ex vegetabili proveniunt. Omnium tamen ſubtiliſſima, & indolis penetrantiſſimæ dantur in Regno animali, quæ mediante ſalivâ per morſum, aut ictum nobis inſtillantur ab animantibus venenatis; ubi notandum, haud improbabiliter doceri à Modernis, nullum animal de ſe venenatum exiſtere, ſed primùm reddi tale, ſi in rabiem, iram, aut furorem concitetur, quod vel ex eo liquet ſatis, quòd viperæ, ſerpentes, ſcorpiones, bufones, araneæ, ac ſimilia inſecta, quæ vulgò pro venenatis habentur, ſi aſſumantur, non noceant, ſed potiùs ad ſanitatem multùm ſæpè conferant, quin imò certum eſt, ipſum hominem, aliáque animantia, quæ de ſe nullô modô venenata ſunt, rabie tamen, aut irâ vehementi percita morſibûs ſuîs graviter nocere teſte experientiâ, atque alium lethaliter, ac viroſè mordere poſſe; quisnam autem ſit irati animalis character venenoſus, & in quo ille formaliter conſiſtat, abſtrictiſſima res eſt, à Modernis Philoſophis, quibus Helmontius quidem in hæc naturæ abdita inquirendi, & inveſtigandi viam monſtravit, non autem perfecit, ulteriùs, ac penitiùs examinanda. Atque hæc ſunt ex claſſe inſectorum: ex genere verò quadrupedum animantium veniunt illa, quæ cholericæ naturæ exiſtunt, ac propterea facilè, ac frequenter irâ, aut rabie corripiuntur, ùt canes, lupi, feles, vulpes, ſimiæ, quorum morſus ob virulentiam ſuam ſemper timendi, ac vitandi ſunt. Interim experientia docet, in Climatis, locísque calidioribus, ac præſertim tempore æſtivo fervidiore, inſectorum morſus longè venenoſiores eſſe, quàm in frigidioribus,

quæ

quæ cauſa eſt, quòd talia in noſtris (quia temperatiores ſunt) atque Septentrionalibus Regionibus rariùs morſu, vel ictu noceant, vel enecent, in calidiſſimis verò, ac meridionalibus partibus lethaliter ſemper mordeant, dum ſerpentes, qui apud nos inveniuntur, planè innoxii dicuntur; qui in aliis plagis calidioribus deprehenduntur, illi econtrà maximè venenati habentur. Verùm, ùtùt venenum, quod morſu animantis irâ perciti, ac rabioſi homini inſtillatur, valdè activæ, ac penetrantis ſit indolis, quia juxta dicta ſubtiliſſimum eſt, nihilominùs accidit interdum, quòd illud ſine omni etiam noxa in admorſis partibus hæreat, donec tandem poſt tempus aliquod in actum erumpat, virésque ſuas ſenſibiliter oſtendat, quod compertum habemus ex variis tum Veterum, tum Recentiorum Practicorum obſervationibus, juxta quas ij, qui à rabidis animantibus morſi ſunt, ſtatim incommodi nil ſenſerunt, ſed poſt menſes primùm, aut annos conſueta talibus ſymptomata, inter quæ funeſtus præprimis aquæ timor, ac horror eſt, incurrerunt, ídque ideò, quòd virus illud volatile inſtillatum à ſuccis corporis tenacioribus, lentis ac craſſioribus ex fibris læsis exſtillantibus figatur quodammodò, & ſub horum involucro recondatur, veluti favilla ſub cinere ad tempus ſopitur, donec certis ex cauſis à compedibus ſuis liberatum, & ſui juris factum ſævire, vímque ſuam exercere incipiat, præſertim in iis, qui temperamento phlegmatico, ſegniori, ac torpidiore præditi ſunt, utpote in quibus ejuſmodi venenum, quin ſe prodat, diutiùs inſidere, ac latitare poteſt, quàm in Cholericis, & agilioribus conſtitutionibus, quas priùs ad iram, conſequenter ad virulentiam hanc inferendam, aptiores, ac proniores diximus.

§. 13. Secundum inter venena vera locum occupant ea, quæ Regnum Minerale nobis ſuppeditat, & ſunt Arſenicalia, Mercurialia, & antimonialia, inter quæ unicum eſt Cobaltum nativum, tria verò per artem parata, ùt Arſenicum, cujus ſunt ſpecies, Mercurius ſublimatus atque vitrum antimonii. Quod primum attinet ſeu Cobaltum, ceu venenum nativum, nil nocivius eſt illô, ob eas, quas in inſecta, ac bruta etiam exerit vires enecantes, & virulentas: pulvis eſt griſei, & fuſci coloris, tantæque corroſivitatis, ùt in papyro conſervari non poſſit, ex

quo

quo tanquam minera arſenici nativa præparatur igne acriori vitrum cæruleum; quod ſmaltum dicimus, ubi etiam albi quidam flores ex eodem ſublimantur, germanicè Gifft-Mehl vocati, qui rurſus igne fortiori in corpus vitriforme album funduntur, quod vocatur Arſenicum album, aut venenum Cryſtallinum innumerîs Lethalibûs exemplîs, ùt Cl. Hoffm. loquitur, ſatis infamatum; tam potens enim eſt, ut etiam mole, ac quantitate minima hominem enecare poſſit, ùt ùt aliqui tempore peſtis exinde amuletum conficere jubeant, quod tamen has ipſas ob cauſas non adeò ſecurum eſſe poteſt. Si decem partibus iſtorum florum addatur una ſulphuris vulgaris, & fundantur invicem, locò albi prodit flavum ſeu citrino colore tinctum arſenicum, ſicuti, cùm duæ partes ſulphuris miſceantur cum dicto pulvere, & in igne ſimul fundantur, arſenicum rubrum emergit, quæ quidem omnia venena ſunt, mineram ſuam, ex qua præparantur, nimirùm Cobaltum vehementiâ, ac celeritate nocendi, necandíque longè ſuperantia, ex his tamen pernicioſiſſimum eſt album, Veteribus unàcum reliquis ſuis ſpeciebus planè incognitum, quod interim noſtris temporibus commune eſt, uſúque pervulgatum, dum peſſimè utantur ad patranda veneficia, quoniam præter vehementiſſimam, ac celerrimam necandi virtutem hoc inſuper habet, quòd guſtu non percipiatur, atque in ſolida æquè, ac fluida forma propinari queat. His tribus arſenici ſpeciebus, tanquam veris venenis mineralibus adjungenda ſunt præparata Mercurialia; licèt enim Mercurius currens, & vivus omnis virulentiæ expers ſit, ita quidem, ùt etiam in magna quantitate hauſtus, & intra corpus aſſumptus nulla ratione noceat, aut necet, ſed ſuo pondere premens citò per alvum elabatur, ac reddatur, adeóque in paſſione iliaca, à fæcibus infarctis, & complicatis inteſtinis orta, ſummum certè, ac frequentî experimentô probatum remedium præbeat, ſi tamen in ſpiritibus acidis, ac mineralibus corroſivis, qualis eſt ſpiritus ſalis aut nitri ſolutus fuerit, quantocyùs veri veneni naturam induit, ac vim deleteriam obtinet ob acrimoniam, quam acquirit, ſummè corroſivam, fibris ventriculi, & inteſtinorum nervis ſpecialiter inimicam, eáſque lancinantem non ſolùm more omnium corroſivorum, ſed etiam rodentem, ac conſtringentem, propter quod dein univerſum ſyſtema nervoſum in conſenſum

trahitur, atque in ſpaſticos motus violenter conjicitur, queîs liber ſanguinis circulus ſiſtitur, & ita mors procuratur. Præparata talia, ac acidis ſpiritibus ſoluta ſunt, Mercurius præcipitatus albus, luteus, ruber, viridis, ac præcipuè ſublimatus corroſivus, qui eſt inter venena maxima, ac fortiſſima numerandus, non tamen ita familiaris in uſu, aut potiùs abuſu, ad perpetranda veneficia, ſicut arſenicum album, quia nimis cauſticâ acrimoniâ, quæ guſtum fortiter afficit, ac facilè percipitur, præditus eſt, unde etiam rariora ſunt exempla illorum in Libris Practicorum, qui hôc venenò è medio ſublati ſunt, quamvis frequentiora occurrant eorum, qui ex uſu medicamentorum Mercurialium non ritè præparatorum graviſſima ſymptomata, vel mortem ipſam ſibi accerſiverunt. Tandem inter venena vera, & arte parata numerandum eſt antimonium in vitrum redactum, quod in ſubſtantia, ac forma pulveris oblatum ſimiles vires exerit, dum non tantùm vehementes atrociſſimîs torminibûs ſtipatos vomitus movet, ſed etiam haud rarò, & quidem intra aliquot horas, præſertim in ijs, in quibus prima Regio aliàs ad ſpasmos magis proclivis eſt, ad modum ipſius arſenici mortem inducit, cujus plura exempla, ſi opus foret, poſſent adduci.

§. 14 Ex quibus itaque palam fit, vera venena mineralia Veteribus prorſus incognita fuiſſe, dum autem res ferè omnes, quæ ex hoc Regno deſumuntur, & naturæ humanæ contrariæ, aut infeſtæ deprehenduntur, venenorum Claſſi inſeruerunt, quæ inter fuêre ipſis argentum vivum, antimonium crudum, vitriolum album, unàcum omnibus ejus ſpeciebus, Lythargirium, ceruſſa, minium, calx viva, gypſum, lapis Lazuli, adamas aliáque, falsò id ab illis factum eſt, eòquòd, licèt negari haud poſſit, ea noxiîs qualitatibûs imbuta eſſe, & rodente quadam virtute gaudere, adeóque humanæ naturæ minùs convenire, neutiquam ſequatur, iſta omnia propterea ad venena ſpectare, eorúmque claſſi adſcribi poſſe, cùm tales non ſint veri veneni characteres, ac proprietates requiſitæ, quas priùs enumeravimus. Quare non minùs ineptè ad venena refertur auripigmentum, quod arſenicum antiquitùs dicebatur teſte Celso, unàcum Sandaraca, quam arſenicum rubrum vocârunt, atque ex fuſo auripigmento præparârunt, quorum utrumque innoxium eſt, & virtute enecandi

orba-

orbatum. Hinc etiam errorem peſſimum, ac minimè excuſandum dicit Cl. Hoffmann. in Medicinæ ſuæ rationalis ſyſtematicæ Tom. 2. p. 2. c. 2. de venenis, eorúmque natura, viribus, & modo agendi, ex quo paucîs mutatîs pleraque de hiſce venenis deſumpſimus, ſi auripigmentum, quod plures adhuc ex Recentioribus faciunt, pro veneno venditetur, atque cum arſenico citrino confundatur, arſenicorum quippe ſpecies, quorum notitiam habuerunt Veteres, & ad auripigmenti familiam ab iis reductum fuit, differunt ab illis, quæ noſtris demum temporibus cognita fuêre, atque ex cobalti minera conficiuntur, non tantùm ratione originis, ſed etiam quoad naturam indolem, & effectus, quos præſtat, quàm maximè differunt, dum auripigmentum minerale quoddam eſt ſulphureum, coloris aurei, ex tenuibus cruſtis, tanquam ſquamis, lapidis inſtar ſpecularis fiſſilibus compoſitum juxta ejus deſcriptionem, quod Græciam, Myſiam, nempe Helleſponti patriam agnoſcit, ubi ex montibus eruitur, & ad nos aſportatur. Habet inſuper has proprietates, quod ſi in pulverem redigatur, & flammæ admoveatur, fluidum reddatur, accendatur, flammámque emittat, ac fumum album, ſubflavum, qui ſuperpoſitum cultrum eodem colore obducere, odorémque ſulphuris fœtidi ſpargere ſolet, in fundo arenoſis, ac lapidoſis particulis relictis; ex quo patet, illud non arſenicalis, aut mercurialis indolis eſſe. Arſenicum econtrà noſtrum quoad omnes tres ſpecies factitium eſt, ac pro natali ſolo Miſniam habet, ubi, & nullis aliis in terris ex minera Cobalti dicta, quæ gryſei coloris eſt, ope ignis præparatur, uti antea diximus. Quoad effectus inſuper ingens intercedit inter utrumque diverſitas, cùm priùs, uti facta ſæpiùs in canibus, & felibus experientia monſtrat, talia animantia neutiquam interimat, etſi ſat magna illius doſis ad drachmam, & ultrà citra ullam noxam exhibita fuerit. Poſterius verò ſummè venenatum eſſe, ſatis conſtat exinde, quòd omnis generis animantia, ſi illis in paulò majori doſi offeratur, brevi ſoleat enecare. Sic etiam, licèt hæc, & ſimilia non ſint propriè venena dicenda, eorum tamen locò habenda ſunt cum iis etiam multa medicamenta metallica ex auro v. g. aut venere non ritè præparata, vel etiam ſiniſtrè applicata, quò ſpectant rurſus omnis generis ſaturnina; ex omnibus enim, quæ naturæ inimica ſunt,

nihil eſt, quod tam potentes, ac graviter inteſtina lædat, eorúmque tonum deſtruat, quàm quoddam ex Saturno paratum. Et quamvìs quidem talia, ſicut alia venena non citò perimant, ùt ùt in paulò majori etiam quantitate aſſumantur, ſi tamen minor horum doſis ſæpiùs repetita fuerit, ſucceſſivè tandem, ac lenta morte aliquem ê medio tollunt. Hinc eſt, quod plures firmiter credant, lentum illud venenum, Gallis pulvis ſucceſſionis dictum, de ſaturnina quoque proſapia eſſe, cujusvis Naturæ humanæ adeò infeſta (quemadmodùm enim veris venenis proprium eſt, ùt diximus certas corporis partes præ aliis graviùs afficere, ſic iſta ſolidis, atque fluidis inimiciſſima experimur) & hoc in cauſa fuit, quòd Veteres etiam ſaturnina venenis annumerare non dubitârint: videantur, quæ habet prælaudatus Cl. Hoffm. Tomô priùs citatô. p. 2. c. 8. de cæteris medicamentis virulentam naturam referentibus, ubi de ſaturninis, ac aliis non minùs fusè, quàm eruditè diſſerit pro pleniori iſtorum omnium expoſitione.

§. 15. Juxta Ordinem regnorum ſuprà præmiſſum ſequuntur modò illa, quæ ex vegetabili inter præſentiſſima venena veniunt, & ſunt Cicuta vera, Napellus, ſive aconitum cæruleum, ſolanum furioſum, hyoſciamus, & datura, utpote quæ principiô ſulphureô, vaporosô, acerrimô, ac nocentiſſimô imbuta ſunt. De Cicuta legimus, quòd ejus venenum Antiquiſſimis jam populis, ac præſertim Græcis, ac Athenienſibus fuerit familiariſſimum, ad mortem ſibi, vel aliis ſubitò inferendam, aliîs non facilè adhibitîs, aut uſurpatîs, ſaltem ubi ſolenniter id exequi voluerunt. Quem in finem etiam cicutæ ſuccus per inſolationem leniter inſpiſſatus Athenis olim publicè aſſervatus fuit, quô Socrates etiam celebris ille Philoſophus, cùm de Diis non adeò benè ſentire à ſuis Patriotis accuſaretur, in carcere ad hauriendum ſuccô hôcce plenum poculum coactus eſt, & interiit, ùt hiſtoriæ produnt. Interim tamen certum eſt, cicutam in illis Regionibus longè fortiorem eſſe eâ, quæ in noſtris partibus creſcit, ob calorem ibi majorem, ex ferventiſſimo Solis æſtu, à quo vim longè penetrantiorem, ac valentiorem obtinet, licèt & illa, quæ apud nos provenit, non careat ſuâ venenoſitate, atque ita ſymptomata Lethalia inducat, quod aliquot hiſtoriis conſignatum

natum

natum legi poteſt in Wepferi libro elegantiſſimo de Cicuta aquatica, in Theatro botanico Zvvingeri, aliisque Botanicis paſſim. Napellum verò venenatum eſſe, pluribus itidem obſervationibus, quas ſpeciatim collegit Zornius in ſua Botanologia Med. pag. 458. prout refert Cl. Hoffm. aliorúmque, præſertim jam citati Zvving. in dicto libro teſtimonio ſatis comprobatum. Tanta napello vis ineſt, ut mucrones telorum, ſi ſuccô ejus inficiantur, plagam ſemper lethalem inferant, juxta fidem ab Auctoribus celebrioribus, de virtutibus herbarum ſcribentibus apertè factam, ùt videre eſt apud Dodonæum, Gesnerum, Capivaccium, aliósque Recentiores. Quod attinet virulentiam ſolani furioſi dicti, ùt & hyoſciami, rurſus ea, quæ de his memorabilia extant, pro more ſuo eruditè tradit prælaudatus Wepferus in cit. Tract. p. 227. Præcipuè autem ſanæ rationis uſum eripiunt, atque peculiarî modô inſanire faciunt, illi enim, qui fructibus Solani veri, ſive Belladonnæ Italis dictæ veſcuntur, in furorem incidunt, propter quod etiam furioſum illud, ſeu maniacum appellatur, uti conſtat præ aliis pluribus hiſtoriis ex obſerv. 161. Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. 3. anni 7. ubi legitur, quòd ſex liberi aſſumpto roob baccarum ſolani hujus, quod locò baccarum ebuli confectum erat, ſomnô expergefactî tantum in furorem conjecti ſint, ùt abjectîs veſtimentîs, ſolóque induſiô tecti clara die domô exiverint, & per plateas geſticulandô, tripudiandô, cachinando, & delira tum loquendo, tum peragendo diſcurſaverint: ſic etiam qui ſemen, vel radicem hyoſciami nigri aſſumpſerunt, ita per iſta dementantur, ac perturbantur, ut dæmoniaci facti eſſe videantur. Sicuti autem talia juxta certam, ac conſtantem obſervationem intus ſumpta ſpecialiter menti vim inferre ſolent, omnia tamen vera venena id commune habent, quòd ſpaſmos nervoſis, ac fibroſis partibus inducendô ultimatò interficiant, vímque ſuam deleteriam vel tardiùs, vel citiùs oſtendant. Præſentiſſimis his dein proximè adjungenda ſunt purgantia fortiora, ſeu draſtica, & narcotica omnia. Ex his primi ordinis ſunt Aſarum, Cataputia, colocynthis in ſubſtantia, cyclamen, elaterium, aut ſuccus cucumeris aſinini, Eſula, Euphorbium, helleborus albus, Mezereum, cum quibusdam fungorum ſpeciebus, ob ſummam, quam poſſident acrimoniam erodentem·

tem. Secundi generis ſunt opium, & opiata omnia, cum fungis plerisque, ac nuce vomica, quæ potiſſimùm vaporoſa ſunt, atque ob ſulphur, quô gaudent impurum, craſſum, ac vaporoſum, nervis ac ſpiritibus quàm maximè infenſa exiſtunt, quibus haud abſimilem virtutem exerit ſemen Daturæ Indicæ ſumptum, utpote quod omnium tam in quàm externorum ſenſuum facultatem ita ſupprimit, ùt apertîs oculîs, vel auribûs nil audiant, aut videant ampliùs, verúmque omnium mox obliviſcantur.

QUÆSTIO II.

De cauſis morborum organicorum in ſpecie.

SUMMA.

1. Quot, ac quæ cauſæ Morborum organicorum in genere, & malæ conformationis in figura in ſpecie, & quidem ante partum? 2. Quæ in, & poſt partum? 3. Quæ cauſæ morborum in via? 4. In ſuperficie læſa? 5. In numero? 6. In magnitudine? 7. In ſitu, & locatione?

§. 1.

EX iis, quæ de morborum organicorum differentiis in parte prima diximus, manifeſtè deducitur, non unam, eandémque horum omnium cauſam exiſtere poſſe, ſed variare eam pro diverſa illorum ratione, juxta quam modò ex ordine ibidem allegato recenſendæ, ac ſtatuendæ veniunt. Priusquàm autem ad ſpecies iſtarum cauſarum morbificarum deſcendimus, de iis in genere ſcire juvat, imò neceſſarium eſt, aliquas illarum à prima jam generatione ortum ducere, aliàs verò poſt hominis generationem eidem primùm accidere, & ſupervenire. Jam verò malæ conformationis in ſpecie, utpote quæ partium figuram, viam, ac ſuperficiem læſam ſub ſe comprehendit, quoad primum vitium, ſeu

ſeu figuram vitioſam cauſæ ſunt omnia illa, quæ dimenſiones naturalis humanæ fabricæ quoquô modô lædere, atque figuram ejus debitam invertere poſſunt, & quoniam juxta dicta, iſthæc homini aut ante, aut in, aut poſt partum accidere ſolent, rectè à Galenicis, ac Recentioribus in triplicis generis cauſas diſtinguuntur. Quæ ante partum, & ſic in ipſo utero adhuc cauſæ habentur, primò in vitiis materiæ, ſeu rudimentis aut delineamentis ovulo jam inexiſtentibus, & quomodolibet vitiatis quærendæ ſunt. 2. In vitio ipſius ſpiritûs genitalis, qui aut quantitate deficiens, aut qualitate, vel etiam motu peccans ovulum muliebre accendendô, ſeu fœcundandô materiam minùs rectè diſponit, ac delineamenta vitiosè ordinat, quæ omnia Galenici, & Antiquiores per virtutis plaſticæ debilitatem, aut imbecillem formatricem à parentibus, debiliorî naturâ præditis profectam explicabant, eámque in materiæ, ſive principiorum generationis materialium vitio, ac diſpoſitione hæreditaria conſtituebant. Vitium materiæ juxta eos fundatur non tantùm in quantitate, eáque aucta vel diminuta, ſed etiam in qualitate, nimirùm ſiccitate, humiditate, alióque materiæ modo vitioſo; quòd autem hæreditaria diſpoſitio ùt morbi hujus cauſa etiam concurrat, vel ex eo quoque inferri poteſt, quòd à parentibus malè formatis ac vitiosè figuratis, conſimiles etiam proles generentur, quemadmodùm id ſæpiùs contingere hiſtoriæ ſatis produnt. 3. In phantaſiæ turbatione, quandò anima Matris, ob præconceptas varias ideas, & objectorum fortiùs impreſſorum repræſentationem in opere ſuo turbatur, & exinde figura fætûs mirabiliter defædatur. 4. Ex caſu, ictu, percuſſione, ligatione, motu matris uterô gerentis, vi cujus artus adhuc molles, ac teneri inconvenienter formantur, aut diſtorquentur.

§. 2. In ipſo partu verò figura fætus, aut prolis vitiatur. 1. Ob præpoſterum exitum, vel poſituram. 2. Ob muliebrium anguſtiam reſpectivam, & viarum improportionem. 3. Ex obſtetricum imperitia, & mala tractatione; hîs enim modîs omnibûs tenellulum adhuc corpuſculum varie diſtorquetur, vel coarctatur, quorum exempla de his morbis in ſpecie adduximus. Poſt partum læditur, ac lædi poteſt figura nunc ab internis, nunc etiam externis, ex priorum claſſe ſunt atonia, aut partium reſolu-

tio,

tio, humorum affluxio, eorundem nimia congeſtio. Ex ordine poſteriorum veniunt rurſus ligationes per faſcias jam magis, jam minùs ſtrictas, membrorum coarctationes, contorſiones, aut diſtorſiones, percuſſiones, ictus, caſus, motus, ac res ſimiles; quibus annumeranda præſertim inepta partis alicujus poſt fracturam curatio.

§. 3. Meatuum, ac cavitatum vitia, ſicuti varia ſunt, ùt ſuprà docuimus, ita quoque varias cauſas agnoſcunt, & quidem morborum in via dilatata ſunt omnia ea, quæ oſtiola vaſorum ſtimulare, ac aperire poſſunt, ùt eſt præprimis humorum turgeſcentium, ſtagnantium, vaſáque diſtendentium copia, motus eorundem impetuoſior in Anaſtomoſi. 2. Humores acres, rodentes, vellicantes, aut irritantes, medicamenta etiam volatiliora maſſam ſanguineam nimis exagitantia in Diabroſi. 3. Contuſiones, diſtenſiones, ac dillacerationes, vis clamoris aut gravioris ponderis geſtationes, aliæque evidentes ac violentæ cauſæ in Rixi. 4. Aquoſitas, ac tenuitas humorum tranſudantium per poros relaxatarum in vaſis tunicarum in Diapidaſi. Cauſæ morborum in via anguſtata illa ſunt univerſim, quæ obſtruere, conſtipare, viáſque comprimere ſolent, ſic conſtat ex antecedentibus id ſpecialiter fieri poſſe 1. à ſanguine, vel alia quavis materia viſcida nimis, craſſa, coagulata, grumoſa, calculoſa, humorúmque adhuc mobilium, ac ſeparabilium nimia copia in obſtructione. 2. Ab excreſcentiis carneis, aut tumoribus in cavitate, vel meatu quodam præter naturam enatis, rebúſque fixis, ac immobilibus, in caruncula penis, polypo narium, tuberculo veſicæ, excreſcentia ani, vel uteri in conſtipatione propriè dicta. 3. Quandò aliquid ab extra cuidam cavitati, aut meatui ita incumbit, ut is comprimatur, in compreſſione, uti cùm in fætu grandiore nec urina, nec alvus debitè ſolvitur. 4. Cùm latera meatûs alicujus aut vaſis, quæ pervia aliàs, & aperta eſſe deberent, non ſolùm flacceſcant, & ita concidunt, ſed penitùs tandem coaleſcunt in coaleſcentia in atrætis ex ortu, vel urethrâ malè curata; quamvis, ùt ſuprà oſtendimus in exemplo, ſive ab ipſius naturæ errorem utilis materiæ defectus prorſus deeſſe quandoque ſoleat. 5. Si, quod plerumque in mollioribus, ac poroſis partibus cavis accidit, illæ vel inaniuntur, vel ex inducta fibrarum

laxi-

laxitate, aut flacciditate, vaſorum latera concidunt, ac connivent in ſubſidentia. 6. Tandem, ubi res quædam acris, & adſtrictiva, ſive ea in- ſive externa fuerit, fibras partis alicujus irritat, corrugat, ac conſtringit, ùt in conſtrictione fieri ſolet. Advertendum autem, cavitates in corpore noſtro vel majores eſſe, vel minores, vel etiam minimas. Primi ordinis ſunt, quæ dantur in corde, ventriculo, renibus, veſica, cerebro, ad quas ceu proprias latiùs referuntur cavitates abdominis, thoracis, ac capitis. Secundi habentur minores, ac meatus propriè dicendi, & ſunt certi ductus, canales, & ſinus in bronchiis, aſpera arteria, ureteribus venis arteriis, ductibus ſalivalibus, choledocho, pancreatio, inteſtinis &c. Tertii ſunt pori partium minimi, qui etiam ſenſus fugiunt, ac tranſpirationi ſolùm tranſitum concedunt.

§. 4. Morborum in ſuperficie læſa, ac primò aſperitatis cauſa ſtatuitur omne illud, quod aliquâ acrimoniâ gaudet, erodit, & ſiccat, & debitam humiditatem abſumere, atque ita vehementer exſiccare poteſt, uti fit in raucedine; quandò enim pars aliqua interna v. g. aſpera arteria inæqualis redditur, & exſiccatur nimiùm, vox rauca, & clangoſa percipitur, vel in vulneribus, fracturis, & exulcerationibus, in quibus oſſa etiam ipſa quandoque aſpera redduntur. 2. Morbi lævitatis fiunt à cauſis contrariis, atque vel à copia viſcidorum, tenacium, ac glutinoſorum humorum, debitas ac naturales partium rugas plùs minùs aſperas nimis humectantium, ac viſciditate potiùs obducentium, atque ita oblitterantium, aut obtundentium, v. g. Ventriculi, vel inteſtinorum in Diarrhæa, aut Lienteria, vel etiam á cicatrice poſt vulnus, aut ulcus relicta. Reliquarum dein omnium ſuperficiei læſionum, quarum inter hujus ſpeciei morbos ſuô locô meminimus, ùt mollitiei, duritiei, opacitatis, perſpicuitatis, raritatis, aut denſitatis cauſæ, vel ex ſolo nomine cuivis facilè innoteſcunt; partes enim molles reddunt humectantia, duras ſiccantia, pellucidas, ac coloris expertes vitiat humorum opacorum, & coloratorum admixtio, ut ſi tunicæ v. g. corneæ, aut humori cryſtallino oculi colorati vel opacus humor inſideat, qui ſpecies viſivas ingredientes ſuo colore inficiat, atque ita viſionem lædat, & depravet.

§. 5. Morborum in numero vitioſo cauſæ non minùs, vel

à primo ſtatim ortu, vel poſtea nobis accidunt. Prioris generis ſunt vitia materiæ ſeminalis, ſeu ovuli rudimenta eidem inexiſtentia, aut ſuperflua in exceſſu, aut deficientia in defectu. 2. Vel vitia auræ fæcundativæ, aut ſpiritûs genitalis, qui ſive quantitate, ſive motu deficiens, aut peccans ovuli muliebris delineamenta minùs excitat, & in apricum producit. Ubi ſi quis etiam ipſam animam ulteriori quandoque fætùs formationi non debitè invigilantem, aut incumbentem, ſed turbatam, aut præoccupatam ſimilibûs ideîs, uti priùs diximus, pro cauſa agnoverit, per nos licet, qui non credimus, eam in his circumſtantiis penitùs excludi poſſe. Poſterioris generis, ſeu cauſæ poſt ortum accidentes, & quidem quoad defectum ſunt ſectiones, uſtiones, eroſiones, putredines, quibus de cauſis ſæpè aliquam partem deficere videmus, ùt manum, vel pedem, aut uvulam in ſcorbuticis, ac lue venerea affectis. Sic refertur de quadam meretricula Patavina, dictô morbô marcida, & infecta, quòd ea, cùm fortè nares linteolô emungeret, naſum ſimul cum excrementis cerebri emunxerit, illúmque totum cum linteolo detractum in loculos recondiderit. Quod verò numerum equidem ſpectat, eúmque excedentem, ſupponit is pro cauſa, & quidem ante partum abundantiam materiæ ſeminalis, ac nutritiæ, facultatíſque formatricis robur, ac errorem ipſius animæ in hoc opere perturbatæ, atque ex phantaſticis impreſſionibus fœtûs figuram mirabiliter nonnunquam deturpantis, qualis fuit infans ille carneô palliô amictus, quem in Germania natum fuiſſe, ex Jobo Fincelio narrat Schenkius L. 5. obſerv. Med. 174. Quoad morbos in numero excedente ex cauſis ſupervenientibus poſt partum patet ex iis, quæ de morbo in numero vitioſo ſub hac ſpecie alibi dicta ſunt: porrò calloſas, & verrucoſas excreſcentias (quæ ex copioſiori ſenſim ſine ſenſu, ac ultrà neceſſitatem ad partes allapſa iiſque aſſimilata materia nutritia originem habent, atque aliquam corporis partem mentiuntur; non enim verè ſuccreſcit alia præſertim perfectioris ſtructuræ extra uterum maternum, exceptîs dentibûs) impropriè tantùm, ac ſecundariò illis poſſe annumerari.

§. 6. Morborum in magnitudine indecente, eáque aucta, & excedente cauſa eſt humorum redundantia, & vel materiæ nutritiæ atque utilis, aut adipis ubertas, horúmque in partibus ſtag-

ſtagnatio, vel eorum vitioſorum copia, & affluxus. Econtrà in dimminuta, ſeu parvitate, ùt cauſa accuſatur illorum defectus, ſectio item, uſtio, aut eroſio &c. quatenùs autem iſti vel in toto corpore, aut in parte tantùm redundare, ac deficere ſolent, jam totalis, jam partialis auctio, aut dimminutio, ſive magnitudo, aut parvitas inducitur, ac obſervatur. Repetantur hic ea, quæ de morbo magnitudinis vitiatæ adduximus in cauſas, ubi ſi iſthæc omnia non ſuffecerint, conſulendi ſunt Authores practici, utpote qui omnes illorum cauſas in Anaſarca, Leucophlegmatia, corpulentia, ſeu obeſitate nimia, variíſque tumoribus, ùt & maraſmo, ſeu atrophia tam univerſali, quàm particulari ſatis prolixè oſtendunt.

§. 7. Cauſæ tandem morborum in ſitu, ſeu locatione præternaturali conſtituunt varia, & quidem 1. partium, quibûs continentur laxitas, ac præcipuè ligamentorum debilitas, & humiditas præternaturalis, à nimio humorum affluxu inducta, adeò, ut partes in naturali ſuo ſitu nequeant retineri, ùt in uteri, aut inteſtini recti prolapſu fit, vel etiam in dolore iſchiadico ſæpiùs contingit. 2. Vitium proprium, & improportio ad invicem, quæ cauſat, quòd non connectantur, quæ connecti deberent, aut viciſſim. 3. Externæ quædam cauſæ ſunt, eæque violentæ, uti ſunt vociferationes, ſaltus exceſſivi, gravioris ponderis elevationes, ac geſtationes, equitationes, & motus inordinati quicunque, utpote quæ omnia rumpunt, aut laxant peritonæum, vel ſaltem violenter diſtendunt, & versùs inferiora potiſſimùm comprimunt, atque ita hernias inteſtinales, vel in oſſibus luxationes producunt. Itaque quoad morbos vitiati ſitûs, & locationis partium organicarum ſpecialiter notandum, eos duplicis generis eſſe, cùm conſiderandi ſint vel ratione theſeos, ùt alibi diximus, aut ſitûs proprii, ùt in herniis, prolapſu uteri, aut inteſtini recti, quorum omnium cauſæ ab Authoribus practicis paſſim fusè deſcriptæ inveniuntur, vel ratione ſyntheſeos, vel conjunctionis, & connexionis cum aliis, uti fit in luxationibus, quarum itidem cauſæ in libris chirurgicis abundanter traduntur, ubi tamen ſciendum, tripliciter ex dictis cauſis ſitum, ſeu locationem vitiari, ac luxationem fieri poſſe, nimirùm vel defectu vinculi, ſeu ligamenti laxi nimis, ac imbecillis

redditi, vel vitiô oſſis malè formati, ac improportionati, vel defectu excipientis, v.g. acetabuli nimis lati, aut anguſti. Plura non addimus, cùm talia ad Chirurgiam ſpecialiorem ſpectent, & in Auctoribus illis, qui copiosè de his ex inſtituto ſcripſerunt, facilè inveniantur.

QUÆSTIO III.

De Cauſis Morborum ſolutæ unitatis in ſpecie.

SUMMA.

1. Quæ cauſæ morborum ſolutæ unitatis manifeſtæ, & in ſpecie vulneris ac ulceris? 2. Quæ contuſionis, ac Rupturæ cauſæ? 3. Quæ fracturarum, & cariei? 4. Quæ cauſæ morborum ſolutæ unitatis occultæ?

§. I.

Quoniam ipſi morbi ſolutæ unitatis ſine cauſarum, ad earum generationem concurrentium mentione, ac notitia ſatis diſtinctè exponi non potuerint in Parte prima, non fruſtrà huc referentur illa, quæ ibidem dicta ſunt, ut, quæ hic in pertractandis ex inſtituto illorum cauſis rursùs adduntur, ex prioribus clariùs innoteſcant. Sunt autem morborum ſolutæ unitatis in genere cauſæ duplicis generis, eæque vel in- vel externæ. Vulneris in ſpecie cauſæ ſunt, & rectè ſtatuuntur omnia dura penetrantia, ſecantia, vel acuminata extrinſecùs impulſa, nunc punctim inflicta, ùt ibidem diximus, ubi partes, quæ conjunctæ eſſe deberent, ſeparantur, & ſic unio earum diſſolvitur, quatenùs enim iſtæ, dum ſuâ naturâ per leges mechanicas, aut organicas unitæ, indivulſæ, ac continuæ eſſe debent, prout ex dictis de hac morbi ſpecie conſtat, eandem dividunt, & ſic unitatem amittunt, continuitatem, ſeu integritatem ſuam perdunt, &

hunc

hunc ſpecie morbum incurrunt, ut ita formalitas ejus principaliter conſiſtat in partium divulſione, cum quadam externa violentia, quandoque etiam, atque in aliis hujus ſpeciebus v. g. ulcere, ab interna cauſa proveniente. Sunt ergò ulceris cauſæ productiva omnia acria, mordacia, ac rodentia, tum extrinſecùs applicata, tum internè genita, ùt humores acres, & corroſivi, non acidi tantùm, ſed & ſalſi quivis, aut alcalini, venena, vel alia cauſtica, utpote quæ ſuccos bonos vel alibi corrumpere, & partes molles quoad unitatem, & continuitatem ſuam deſtruere apta ſunt.

§. 2. Contuſio autem fit à rebus externis, duris, gravibus, atque obtuſis ob duritiem ſuam, ac gravitatem, vim fortiter comprimentem exerentibus, & impetu quodam partem aliquam mollem contundentibus, ita tamen, ut illius ſuperficies, ſeu cutis integra perſiſtat; ſi enim talis cauſa eſt diſrumpens, & divellens, ruptio accidit, aut divulſio, aliàs ruptura dicta, & infertur ſpecialiter à rebus iis omnibus, quæ ad extra ſupervenientes (ùt ſaltus immodici, caſus, & gravioris ponderis elevationes, ac geſtationes) ultrà modum membranas diſtendunt, atque ita diſtendendô aut divellendô easdem violenter dillacerant: Vix autem poſſibile credimus, quod tanta dilatatio, aut diſtenſio à ſola cauſa interna, prout fieri poſſe contendunt aliqui, provenire poſſit, quodſi tamen id accideret, per ſpasmodicam fibrarum contractionem, eámque validiſſimam induci neceſſè foret, quod tamen vix, & ne vix quidem judiciô noſtrô concipi poteſt, cùm ſpaſma etiam vehementiſſimum, ùt ùt rectiſſimè ab Hipp. 5. Aphor. 25. Galen. d. art. Med. conſtit. c. 6. & L. 2. meth. med. c. 2. ac modernis omnibus dicatur ſpecies ſolutionis continui partium nervoſarum. v. g. fibroſarum, tendinoſarum, ac ligamentoſarum, citra earum tamen rupturam contingat.

§. 3. Fractura pariter accidit ſolùm à violentia quadam externa, ùt caſu, ictu, aut contuſione &c. continuum in partibus duris immediatè ſolvente pro ratione nimirùm duri impellentis, aut impulſi, atque robore oſſium magis, vel minùs firmatorum, atque ita hanc vel illam fracturæ ſpeciem conſtituentium, de quibus ſuprà de hac, ejúsque cauſis plura extant apud Principes noſtros, & quidem apud Hippocr. ipſum Libr. de fracturis

paſſim, apud Galenum verò in Commentariis ad eundem, ubi ſpecies dicitur ſolutæ unitatis in partibus duris, oſſibus, & cartilaginibus durioribus, proveniens ab externo violenter continuitatem diſſolvente, ut ita, quidquid hac ratione concurrit, nomine cauſæ venire poſſit, debeátque. Caries demum ab iis omnibus tanquam cauſis ſeu externis, ſeu internis provenit, quæ acria, corroſiva, atque exedentia ſunt, ac circa oſſa, eorúmque perioſtium ſubſiſtunt, haud ſecùs, ac fit in ulcere, niſi quòd ibi partes duræ, aut oſſeæ, aut cartilagineæ, hìc verò molles ſolùm afficiantur, quæ circa illorum ſubſtantiam, aut perioſtium eorum hærentia eandem conſumunt, ac penitùs tandem depaſcuntur, ùt in variis cariei ſpeciebus ad Chirurgiam ſpecialiorem propriè pertinentibus, & ibidem diſtinctiùs exponendis luculenter apparet. Quæ ex Antiq. ac Recent. hìc circa cariei cauſas modo adduximus, rursùs confirmata habemus authoritate Hipp. eandem ceu morbum ſolutæ unitatis in partibus duris, oſſibus videlicet, ac cartilaginibus cum deperditione ſubſtantiæ à materia acri, & corroſiva provenientem apertè dicentis L. 2. de morb. vulgarib. 7. *Atque hi ſunt ij morbi, in quibus unitas, aut continuitas à ſcindentibus, pungentibus, aut frangentibus &c. ùt vidimus manifeſtè ſolvitur.*

§. 4. Cùm autem continui ſolutio non ſemper manifeſta ſit, ſed occulta etiam, eáque ſemper in fieri tantùm, & quoad minima, ùt ſuprà de morbo ſolutæ unitatis in ſpecie meminimus, illius etiam hôc locô cauſæ probè examinandæ veniunt, & ſunt omnia, quæ vellicandô, rodendô, diſtendendô, divellendo, atque comprimendô, ſive dein externa ea fuerint, ſive interna, in ipſas partes membranaceas, ac nervoſas agere poſſunt, uti fit in omnibus affectibus ſpasmodicis, ac dolorificis, quandò enim ob ſtagnantes, ac congeſtas, vel ex abundantia, vel cacochymia humores acriores, fibrásque nerveas irritantes, ac vellicantes ſpaſticè commoventur dictæ partes, præſertim magis ſenſibiles, & accuratiori, aut delicatiori ſenſu præditæ, quales præcipuè ſunt juxta ſuperiùs dicta ventriculus, & inteſtina unà cum capite ipſo propter membranas valdè nervoſas, atque ingentem per nervos conſenſionem, ex talium violenta, ac moleſta paſſione ſpirituum influentium poppyſmata, & ſuaviationes

per-

pervertuntur, aut depravantur, inque motus irregulares, ac impetuoſas ataxias concitantur, queîs ita concitatîs dein ſolidorum fibrillæ moventur, & ſanguis ipſe in orgaſmum ſolvitur, unde non ſolùm ſenſus tactûs augetur, & triſtis illa ſenſatio, quam formaliter dolorem dicimus, percipitur, ſed & ex acutie, ac nimietate ejus quandoque delirium ſequitur. Hinc ſicuti breviſſimè, ita veriſſimè ex Antiquis Fernelius de communis morbi, quatenus & ſoluta unitas dicitur, cauſis diſſerit, & in reddenda ejus Ætiologia etiam pro nobis ſtat, dum L. 1. Path. c. 21. ita docet: *Continui ſolutionem efficiunt flatus, humórque vel exuperans, vel acer vel pungens, vel excedens; & in cauſis evidentibus motus immoderatior, & quæcunque contundunt, frangunt, vulnerant, perforant, aut urunt.* Per quæ verba ſatis claré diſtinquit præfatus Author inter ea, quæ manifeſtæ, & occultæ continui ſolutionis cauſæ exiſtunt, ſcilicet ſcindentia, pungentia, rumpentia, & frangentia, atque inter illa, quæ ſolùm ob acrimoniam ſuam irritantia, vellicantia, rodentia, diſtendentia, divellentia, aut comprimentia ſunt, quorum priora partium continuitatem diſſolvunt, poſteriora verò circa minimas fibrillas hærentia id ſolùm inchoativè, ac in fieri præſtant. Nil igitur ſupereſt de Doctrina noſtra cauſarum morbificarum Theorica ac generali, quàm ut eadem iîs Galeni verbîs C. ult. de differ, morborum obſignemus, ac concludamus: *Qui didicit ſimplices morbos omnes, & modum, quô invicem componuntur, is potis eſt, ſemetipſum in ſingulis exercere:*

Sic ille.

PARS

PARS TERTIA
PATHOLOGIÆ
ſeu
SYMPTOMATOLOGIA.
De
Morborum Corporis humani effectibus, aut Symptomatibus.
SECTIO UNICA.
De effectibus, aut ſymptomatibus morborum in genere.

SYmptoma græcè σύμπτωμα, unde & Doctrina de eo Symptomatologia dicitur, vocabulô compoſitô non unam ſignificationem, uti mox audiemus, habet: de ſtrictæ tamen ſignificationis ſymptomate hic nobis ſermonem futurum, non ſolùm propoſita hinc inde ejus deſcriptio, ſed & ordinis ratio teſtatur, illud quippe, de quo jam tractare animus eſt, ac neceſſitas, nec morbus, nec morbi cauſa, ſed tertium quoddam rerum præternaturalium genus, iiſque contrà diſtinctum, & acceſſivum, ùt diximus, ſive hiſce duobus primùm ſuperveniens. Eſt verò omne illud, quod præter morbum, ac cauſas ejus, tanquam

quam effectus ab his dependens corpori humano maximè infeſtum eſt, ac præternaturale, illúdque principaliter lædit, ex cujus cognitione debita natura morbi adhuc magis innoteſcit, ejúsque vis, atque vehementia judicanda venit, effectus etenim maximè de ſua cauſa teſtatur, quæ utplurimùm abdita, & abſcondita eſt, præſertim ſi de interna, eáque proxima ſermo ſit, ex ſymptomatibus tamen, tanquam effectibus dignoſci poterit; quippe quò major eſt ſymptomatum morbo alicui ſupervenientium, eúmque ſtipantium vehementia, eò plùs etiam periculi alit morbus. Proinde plurimùm refert, ut bonus, ac peritus Medicus pro formanda Prognoſi prudenti, vel etiam felici curatione adornanda ſymptomatum præcipuè rationem habeat, eorúmque genium, atque indolem perſpicaciter, ac ſolerter perpendat. Quæ omnia, dum nos jam quæſitô ſtudiô indagare intendimus, experiemur & hìc, ùt aliàs paſſim, magnum Veteres inter, ac Recentiores de ſymptomatis Doctrina diſſenſum; cùm aliqui ex his eò progreſſi ſint, ut, ne entia multiplicarent ſine neceſſitate, uti illi quidem judicant, ſymptoma è rerum præternaturalium numero vel penitùs expungant, vel omne ſolâ actione læsâ exceptâ ad morbum referant. Alii ex iſtis etiam, ùtùt ſymptoma non negârint, illúdque trinum cum communiori admiſerint, tractationem tamen ejusdem quàm breviſſimè potuerunt, contraxerunt, ſed quàm ſiniſtro conceptu, atque irritô fundamentô id fiat, eluceſcet ex iis, quæ modò de ſymptomate, ceu tertia, ac præternaturali à prioribus maximè diſtincta, ac probè diſtinguenda adducturi ſumus, ac oſtenſuri, circa entium multiplicationem ſuperfluam uſitatiori hucusque ratione illud merito ſpectari, & utiliter ſic tractari poſſe, ac debere.

QUÆSTIO I.

De Symptomatis natura, & differentia in genere.

SUMMA.

1. Quid ſymptoma generaliter acceptum? 2. An poſſit dari in-

 depen-

dependens à morbo? 3. Utrum illud etiam ablatô morbô remanere poſſit? 4. An Criſis, aut potiùs evacuationes criticæ pro ſymptomatis ſint habendæ? 5. Quotuplex ſit ſymptoma? 6. Quomodò ulteriùs ſubdividatur?

§. I.

SYmptoma, uti conſtat vocabulum eſt in Medicina notiſſimum ac familiariſſimum, cujus tamen variam acceptionem, ac ſignificationem ipſe Galenus optimè expedivit. L. de diff. ſympt. c. 1. & 2. quòd ſcilicet & latè, & ſtrictè accipiatur. In priori acceptione omne illud denotat, quod præter naturam homini accidit, ſive dein morbus, ſive cauſa ejus, ſive accidens fuerit præter naturam ſuperveniens. In poſteriori ſenſu dicit nobis tertiam illam rerum præternaturalium ſpeciem, ſeu id, quod morbos, cauſâsque morbificas primùm conſequitur, eásque omnes penitùs excludit, atque ſub hac ratione de eodem nobis tantùm ſermo hic eſt, ùt priùs diximus, in quantum nempe aliud non *eſt*, quàm *effectus ſenſibilis, præternaturalis, à morbo ſeu mediatè, ſeu immediatè dependens, eúmque velut umbra corpus ſequens; in actionibus corporis humani, ejúſque excretis, vel retentis, ac qualitatibus conſiſtens;* quemadmodùm enim morbus eſt læſio partium generalis, ac primaria, ita ſymptoma, quatenùs eſt contradiſtinctum morbo, ejúsque cauſæ, ſeu quidquid (exceptîs tum morbîs, tum causîs morbificîs) corpori noſtro præternaturale eſt, illúdque lædit, ab eodem producta læſio eſt ſpecialis, & reſpectivè ſecundaria ut ita circa genus, quod eſt effectus, non autem affectus, utpote qui non omni ſymptomati propriè competit juxta factam ex Galeno explicationem, nulla occurrat nobis difficultas: circa hujus differentiam tamen, quam reliqua continent, expedienda erunt aliqua, & quidem præſertim illa quæſtio, an ſymptoma morbum tanquam cauſam, vel mediatam, vel immediatam, ùt dicetur, ſemper ac neceſſariò inſequatur, eíque perpetuò coincidat, ac eſſentialiter cohæreat? quod verba definitionis noſtræ & aliqui ex Medicis ſtrictè requirunt, adeóque omne omninò ſymptoma à morbo tantùm dependere exiſtimant.

§. 2.

§. 2. Regulariter loquendô omnia quidem ſymptomata vi datæ definitionis à morbo promanant, ab eóque unicè dependent, cùm in rerum natura impoſſibile ſit, ut actus ſecundi, ſeu effectus, quales eadem ſunt in ordine aut morbum, aut diſpoſitionem morboſam citra præviam actûs primi, ſive cauſæ ſuæ exiſtentiam, aut præſentiam dari queant. Ita ſitis, ſálivæ, aut oris amarities, linguæ ſiccitas, inappetentia, vigiliæ, delirium, vomitus, capitis dolor &c. febrilia ſymptomata ſunt, quia febres iſta velut umbra corpus ſequuntur, vel comitantur. Nihilominùs fit quandoque, quòd ſymptoma cauſetur à ſymptomate, ùt cùm calor ſiccitatem producit in ſpecie linguæ, quin tamen ſuſtineri poſſit, quod etiam in abſentia omnis morbi id à cauſa morbifica tantùm, & quidem in iis circumſtantiis exſpectari queat, quandò à cauſa quadam extrinſeca v. g. majori, quàm ventriculus ferre poteſt, alimentorum ingurgitatione chylificatio, aut ſanguificatio læditur, ubi ſymptomata iſthæc non dependent, aut producuntur à morbo, cùm nullus pro tunc præſens adhuc ſit, ſed à ſola cauſa morbifica, uti quidam opinantur, quorum opinio per allatum exemplum infringitur potiùs, quàm exinde comprobatur; quidni enim ventriculus aſſumptorum, vel eſculentorum, vel potulentorum onere gravatus, ac obrutus pro tunc morbum patitur, ſive intemperiei, ſive auctæ magnitudinis, ſive ſolutæ unitatis, & quidem à nimia, ac dolorifica ejusdem diſtenſione dependentem? nam ex eo, quod rejectîs ſuperfluîs res ſtatim iterum ſalva ſit, & ille ſe benè habeat, nec morbi veſtigium relinquatur, plùs certè inferri non poteſt, quàm dari morbos etiam leviores, & quaſi momentaneos, quorum cauſas removere, eósque vincere ſola ſæpè natura potis eſt. Neque etiam difficile eſt tam in hoc, quàm aliis quibusvis exemplis ex cauſarum materialium proprietatibus, agendíque modo, nec non ſymptomatum ratione in notitiam venire eſſentiæ morborum, quibus ceu cauſis debeantur, & in quanam illi ſpecie ponantur. Sic licèt etiam in laſſitudine Argenterius nullum indagandô reperire potuerit morborum genus, quod planè mirùm, trinum tamen in laſſis omninò ſubeſt, nec altùm latitat, cùm in talibus & partes reſiccentur, & viciſſim quoque humectentur nimiùm; imò etiam præter naturam calefiant; materia enim vel

cauſa humoralis hinc inde in tubulis, ac poris muſcularibus fibrarum hæret, atque etiam in ſpatiis ligamentorum articularium congeritur, & fermentando utrobique calorem partibus imprimit. Eſt igitur in articulis delaſſatis, ſeu ligamentis intemperies calido-humida reperienda, in muſculis verò ipſis calido-ſicca, juncta aliquoties diſpoſitione phlegmonode, ſcilicet inflammtoria, unà cum diatheſi quadam dolorifica, quæ cæteroquin ſemper præſens eſt, ac à Medicis communiter in ſolutione continui conſtituitur, & ſic de aliis Caſibus, in quibus ſymptomata urgere, omnis autem morbus abeſſe videtur. Aliud quidem foret, ſi iſthæc, & ſimilia ſub latitudine ſanitatis adhuc comprehendantur, nec res præternaturales ſint, adeóque inter ſymptomata necdum referri mereantur.

§. 3. Dubitant ulteriùs alii, an non ſymptoma etiam abſente morbô adhuc conſiſtere poſſit? ut inter Antiquos præſertim Plempius docuit: remanent dicens multa ſymptomata notabili tempore, poſtquam morbus ablatus eſt, ùt flavus ictericorum color reſeratâ veſiculæ felleæ obſtructione. At verò fallitur Plempius, & omnes quotquot cum eo ita ſentiunt, dum inter morbum plenè, ac inchoativè non debitô modo diſtinquunt; quandò igitur in ſtatu reconvaleſcentiæ (per hunc enim optimè res iſta declaratur, ac dubium propoſitum ſolvitur) aliqua adhuc ſymptomata remanent in corpore humano, illúdque quoad actiones ſuas non debitè expeditum, nec in excretis, vel retentis, nec qualitatibus decentibus naturaliter conſtitutum eſt, morbum necdum perfectè, & integrè ablatum eſſe, certò nobis ſignificant, ùtùt tantam vim, quantam antea exercuit, ampliùs non exerceat, de quo fuſiùs diximus in Prolegomenis Medicinæ de ſtatu neutro, ùt videri poteſt. Et videtur hoc ex eo inſuper capite non admittendum, quòd ſymptomata morborum, cauſarúmque morbificarum ſigna ſint conſpicua, quemadmodùm de illis in Semiologia prolixiùs oſtendetur, talia autem non forent ampliùs, aut de iis nobis quidquam certò ſignificarent, ſi etiam in abſentia omnis morbi conſiſtere valeant, ut abſtrahamus hic à principiis noſtris phyſicis.

§. 4. In quæſtione autem, an Criſes, cujus pleniorem Doctrinam in Semiologia damus, aut potiùs evacuationes criticæ ſic

ſic dictæ inter actionis læſæ ſymptomata etiam referenda ſint, nec ne? cujus affirmativa ex ſymptomatis definitione priùs adducta ſatis deduci poſſe videtur, cùm ſemper ſequantur morbum, ſi oriantur? non dubitamus nos negativam præferre, ac reſpondere, quòd evacuationes tales, quas neque in Theoria, neque in Praxi, uti quidam tamen ſolent, penitùs diſſimilare, aut negligere, eáſque inter cætera ſomniantis vetuſtatis phantaſmata, ùt iis loqui placet, numerare debemus, utpote maximæ ſemper conſiderationis, non ſint præter, ſed potiùs juxta naturam, licèt fiant ſemper in morbo, eúmque ſequantur quamvis non omnem, non tamen fiunt à morbo, tanquam ſua cauſa, ſed à natura morbum vincente, dum ea admirabilis magis, quàm ſatis explicabilis ratione viam ſibi invenit, ac facit, quâ materiam expellat inimicam, ùt explicat Lindenus apud Brunonem in Dogmatis Medicinæ generalibus, evacuationes iſtas actiones inſolentes appellans. Si tamen conformiùs ad motum quaſi medium, de naturali ſcilicet, ac præternaturali participantem illas reducendas quis arbitretur, quatenùs & morbus, qui naturam irritat, & natura ſimul, utpote quæ movet, atque hac ratione morbum ſolvit, easdem ciere, ac producere ſolet, non ſumus quidem pertinaciter contrarii, licèt noſtra, quam dedimus, reſponſio, & ex Lindeno facta explicatio ſimilium motuum probabilior videatur, cùm juxta nos, noſtrúmque fiendi modum merum naturæ opus ſint, ſaltem immediatum.

§. 5. Ex definitione ſymptomatis priùs data ſufficienter rursùs conſtat, illud triplicis generis eſſe, ſeu tria dari ſumma genera ſymptomatis, actionis nimirùm læſæ, excernendorum, ac retinendorum, & qualitatis mutatæ; hæc enim tria vitiorum genera effectus ſunt morborum, quatenùs à naturali agendi modo deflectunt, ſicuti naturaliter ſe habentia quoad hæc omnia ſanitatis ſunt producta. Et hæc differentia præcipua eſt, ac eſſentialis, quia à natura, & Symptomatis eſſentia petita. Negari quidem non poteſt, ſi res qualis in ſe eſt, penſiculatiùs cum quibusdam tam Antiquis, quàm Recentioribus examinetur, quòd poſteriora duo ſymptomata (quemadmodùm in Phyſiol. de ſanitatis effectibus diſſeruimus) tanquam mediati effectus morboſi, utpote qui mediante actione læſa à morbo quidem produ-

cuntur, eúmque inſequuntur, conſiderandi ſint, ipſa verò actio læſa à morbo immediatè procedens, minimè tamen legitimè ſequitur, aut inferri poteſt, quòd non ſint vera, propria, & diſtincta ab actione læſa ſymptomata, ſed ad eam tanquam verum, proprium, ac unum ſupremum genus debeant referri; licèt enim actionis vitium primarium, ac immediatum morbi ſymptoma, aut effectus ſit, ex quo reliqua duo propullulant, tanquam mediata, nihilominùs propriè etiam, ac diſtincta ſymptomata conſtituunt, quia mediante actione læſa à morbo producuntur, hôc ſolô diſcrimine, quod actio læſa immediatè, illa verò mediatè per ipſam ab eodem proveniant; ut ita entia citra rationem, ac neceſſitatem non multiplicentur, quin imò ex infrà dicendis manifeſtè patebit, quod talî modô tripliciter, ac diſtinctè conſiderata ſymptomata tum indicationem utilem, tum alium uſum præſtare ſoleant, ùt conſideranti liquet. Quoniam ergò via hæc, quam Recentiores aliqui unum tantùm ſupremum genus, ſcilicet actionem læſam ſtatuendô ingrediantur, nimis lata, ac univerſalis eſt, cum pluribus non inferioris notæ Modernis, ab Antiquis factæ, & communiter receptæ (quæ non minùs commoda etiam, quàm utilis videtur) diviſioni firmiter inſiſtendum putamus.

§. 6. Quoad accidentalem dein differentiam, ſeu illam, quam ſubit ſymptoma, pro vario reſpectu nimirùm, vel ad propriam radicem, ſubjectum, aut partem affectam, effectum inſuper, atque alia connotata extrinſeca dividitur, & ſic in febrile, cephalicum, hepaticum, magnum, aut periculoſum diſtinguitur. Præcipuè etiam, ac ſpecialiter diſtinguendum eſt ſymptoma eſſentiale, ſeu primarium, ab accidentali, ſeu ſecundario. Prioris utpote (quod preſſo pede ipſum morbum inſequitur, neque ab eodem ſeparari poteſt, propter quod etiam certa morborum, ex quibus ij facilè dignoſcuntur, & ab aliis diſtinguuntur, ſigna præbet, atque indicia) exemplum habemus in immodico corporis calore, ſiti inexhauſta, appetitûs dejectione, vigiliis aſſiduis, virium debilitate, capitis dolore, atque urina intenſiùs rubra, quæ omnia motûs ſanguinis inteſtini præter naturam aucti, depravati, turbati, ac impetuoſi, effectus ſunt, & de præſentia febris, quemadmodùm de hujus ſymptomatis priùs diximus,

mus, manifeſtè teſtantur. Ita quoque inflammationis ſymptomata, ex quibus ea certò cognoſci poteſt, ſunt ſpeciatim partis affectæ tumor, dolor, rubor, unàcum vehementiori arteriarum pulſatione, qui impediti liberi ſanguinis circuli, ejúsque in vaſculis ſanguiferis ſtaſeos, vel ſtrictioris partium nervoſarum toni fructus ſunt. Poſterioris autem paradigma ſubminiſtrant nobis inflammatio in febribus acutis, cum vel ſine exanthematum eruptione primùm in ſtatu ſuperveniens, v. g. ventriculi, pulmonum, aut meningum cerebri, utpote ſine qua morbus prior conſiſtere eſſentialiter quidem poteſt, quia tamen & talis partis cujusdam inflammatio, quæ ſi æqua lance æſtimetur, ipſa morbus eſt à priore diſtinctus, nihilominùs ſymptoma vocatur, aut morbus ſymptomaticus, ùt ſuô locô de eo pluribûs explicavimus, eò quòd effectus ille ſit, ac productum morboſum prioris morbi, quod rursùs alia, per accidens tamen, accidentia morboſa poſt ſe trahit, priorem morbum ordinariè, ac inſeparabiliter non concomitantia, ideóque ſecundaria dicta. Ubi tamen benè advertendum porrò eſt, ne ſymptomata morbis ſupervenientia cum aliis affectibus, qui ſublatîs demum morbîs prioribûs ſubnaſcuntur, & haud infrequentes eſſe ſolent, invicem confundantur; ex febre enim quartana hydrops, ex tertiana intermittente paſſio hypochondriaca, ex hæmophtyſi phtiſis, atque ex pleuritide Empyema ſubſequuntur, idque potiſſimùm, ſi morbus prior perversè tractatus ac ſiniſtrè curatus fuerit, materiâ ſcilicet morbificâ in corpore relictâ, ubi facilè nova, ac ordinariè pejoris notæ mala ſuccreſcunt, ac propullulant. Atque hæc quàm maximè accidentia ſupervenientia, ac ſecundaria ſic dicta illa ſunt, ex quibus, ùt ſuprà animadvertimus, vis atque vehementia morbi æſtimanda, ac periculum, quod minatur, certiùs deſumendum eſt.

QUÆSTIO II.

De Symptomate Actionis læſæ in ſpecie.

SUMMA.

1. Quid actio læſa, ac quomodo differat ratione læſionum? 2. Quo-

Quomodo dividenda ex naturali differentia ? 3. Stabilitur facta actionum læſarum diviſio ? 4. Quænam ſint ſymptomata actionis læſæ animalis, & quidem ſenſuum externorum? 5. Qualia ſenſuum internorum? 6. Quæ ſint motûs læſi ſymptomata? 7. Quænam deinde dicantur, & ſint ſymptomata actionis læſæ vitalis nobis dicta?

§. 1.

DIximus priùs, inter ſymptomata primum ac præcipuum quidem eſſe actionem, ceu morbum immediatè inſequentem, reliqua verò duo demum ex actione læſa primùm oriri; ex mala enim coctione, vel quod idem eſt, ex læſa actione ventriculi prava excrementa generantur, & hinc etiam qualitates corporis mutantur, aut vitiantur, quippe quales ſunt in corpore humores, tales in eodem reperiuntur colores, odores, ſapores, ac ſimiles qualitates aliæ. *Eſt autem* ipſa, de qua hic loquimur *actio læſa vitium notabile, ac ſenſibile in quadam corporis actione conſiſtens*, quod ex morbi, ipſiúsque ſymptomatis definitione facilè eruitur. Ejus differentia dein vel à diverſitate, ſeu modo læſionum, vel ab actionum ipſarum naturali diſtinctione deſumitur, & hinc in ordine ad primam actio læſa aliquibus tantùm triplex eſt, ſcilicet abolita, imminuta, ac depravata, quibus nos cum aliis atque Galeno ipſo Libr. 1. de ſympt. cauſ. c. 6. addimus auctam. Ex his abolita dicitur, quæ vel prorsùs, ac omninò non fit, ſed penitùs ceſſat, vel ſaltem ad ſenſum non fit, nec fieri poteſt, unde abolita in propriè ac verè, vel apparenter & ad ſenſum talem diſtingui poteſt. Illius exemplum præbet omnimoda cæcitas; hujus autem in Apoplexia, aut ſuffocatione hyſterica. Imminuta eſt, cùm natura debiliter, & imperfectè agit, id eſt, quando actiones vel longiore, quàm par eſt, tempore perficit, vel etiam nunquam perfectionem, quam deberet aſſequitur, vel ſi quis alius modus datur, quô à perfectione debita declinare poteſt, uti in appetitu dimminuto experimur, ubi quidem aliquis adeſt, ſed valdè exiguus. Depravata cenſetur actio, quandò ea fit quidem, ſed aliô prorſus modô, quàm fieri deberet, ſic, ut neque

in

in principio, neque in fine juxta naturæ præſcriptum fiat, licèt dimminuta in principio quidem, non tamen in fine naturaliter peragatur. Et talis eſt ille appetitus vitioſus, ac depravatus, quâ prægnantes aliquandò feruntur in aliqua, à cibi, aut alimenti ratione prorſus aliena in pica, vel ſi ventriculus quidem diggerat, interim tamen loco chyli dulcis, ac laudabilis meras cruditates generet. Aucta demum appellatur nobis illa actio, quæ validior, vehementior, ac fortior eſt in ſuo genere, quàm aliàs deberet, adeóque præter modum augetur, ſeu intenditur, ac terminum ſuum tranſcendit, quem abolita neutiquam intendit, dimminuta ægrè, difficulter, tardiùs, & minus benè, ſeu imperfectè attingit, depravata verò prorſus aliô modô producit, ùt diximus. Hujus autem, quam auctam dicimus, actionis exemplum rurſus habemus in vigiliis nimiis, pulſu ac reſpiratione ingenti, ſiti, & fame magna, ſeu bulimo, aliiſque pluribus ſimilibus actionibus, quæ mediocritatem excedunt, & hac ratione à ſtatu naturali deflectunt.

§. 2. Antiquiores quidem, uti ſcimus ex Phyſiologicis, dum actionum in homine, quas integras conſervare, ac læſas reſtituere debebant, numerum, ac differentiam inveſtigârunt, non tam ipſas facultates, quæ per ſe etiam juxta ipſos lædi haud potuerunt, ſed organa, quibûs actiones obeuntur, atque perficiuntur, inprimis conſiderârunt, & ſecundùm tria principalia membra, ac partes nobiliores cerebrum, cor, & hepar, utpote à quibus actiones omnes gubernantur, actiones animales, vitales, & naturales diſtinxerunt, harúmque quamlibet in ſuas ſpecies ſubalternas diviſerunt. Nos autem cum Modernis ex rationibus ibidem pariter allatis læſas actiones pro ſua, quam naturaliter admittunt, differentia in vitales, ac animales tantùm bipartimur, vitalem rurſus in chylificationem, bilificationem, ſanguificationem, aliáſque conſimiles actiones ſubdividendô, quæ aliàs in ſtatu naturali ad corporis noſtri vitalitatem conferunt, pro hìc, & nunc autem vitiatæ exiſtunt, quemadmodum animales rurſus in ſenſum, eúmque externum, vel internum, ac motum, unàcum pulſu, ac reſpiratione rectè diſcriminantur. Actionis igitur animalis læſio vel in ſenſu, vel in motu conſiſtit, ſicuti vitalis in reliquis dictis.

Z §. 3.

§. 3. Ut verò quadruplex læſarum actionum numerus à nobis adhuc magis ſtabiliatur, removendi jam ſunt obices, quos ponunt illi, qui volunt, ternarium, vel etiam binarium pro læſis actionibus (auctâ nimirùm, & imminutâ penitùs excluſâ) ſufficere rati, acutam præſertim peculiarem læſæ actionis ſpeciem haud conſtituere, ideò; quia ſi hæc à naturæ, ſpiritûsque vitalis robore dependeat, ad res potiùs naturales pertinere dicenda ſit, quàm ad producta morboſa, ac præternaturalia, ſi verò quid præter naturam ſapiat, rectiùs illam, ac veriùs ad depravatam referri poſſe, ac debere, ubi pari ratione de altera, ſeu dimminuta diſcurri, idémque dici poſſe nonnulli contendunt, eoquòd & iſta ab abolita gradu ſolùm diverſa eſſe videatur, quod ex præmiſſa ejus deſcriptione haud obſcurè deducendum exiſtiment, ut ita tali entium multiplicatione non ſit opus. Hunc ergò quorundam ita ſentientium obicem ut removeamus, noſtrámque opinionem ulteriùs confirmemus, reponimus ad hæc, & quidem quod auctam nobis dictam actionem ſpeciatim attinet, de ea, quatenùs adhuc intra limites ſanitatis continetur, atque ita ad res naturales ſpectat, hic ſermonem eſſe non poſſe, quod ad confuſionem evitandam probè notandum eſt. Quòd verò illa, quæ præter naturam ſe habet, ad depravatam reduci poſſit, ac debeat, certè non evincitur ex iſtis rationibus, ſi in rigore, ac ſenſu ſtrictè tali, atque à nobis priùs propoſito accipiatur; aliud quidem eſt, ſi in laxiori ſignificatione intelligatur, in qua tamen acceptione, & abolitam, & imminutam ſimul ſub ſe comprehenderet, omnes enim ſic loquendô ac genericè accipiendô depravatæ ſunt, cùm aliter fiant, quàm naturaliter fieri deberent, quod foret nimiùm dicere, ac contrarium etiam ijs, qui ſolam auctam expunctam volunt, quamvìs modus, quô fiunt, & ob quem differre dicuntur, juxta datam hucusque explicationem, in omnibus quatuor manifeſtè diverſus ſit, ac diſtinctus, vel in nulla, ut ita vel ad unam depravatam omnes reliquæ referantur, vel, prout nos quidem judicamus, meliùs dictô modô quadrupliciter diſtinguantur. Et hinc non negamus, etiam quoad alteram, ſeu diminutam actionem, quòd ea ſub abolita implicitè, ac latiùs accepta contineatur, & cognoſcatur, quod tamen propriè ac ſtrictè talis ita accipiatur, hoc eſt, de quo non ſolùm dubitamus, ſed etiam abſolutè pernegamus.

§. 4.

§. 4. Atque ut actionis læſæ vitia per ſpecialia exempla oſtendamus, mox ad internum, ab animali, & quidem à ſenſu, eóque externo, à quo ceu minùs principe ad illum ceu magis principem aſcendimus, initium facimus. Vitiatur ergò iſte, vel omninò non fiant ampliùs. Ita viſus non fit, ſed aboletur in cæcitate, ùt priùs dictum eſt, imminuitur in ejus hebetutine, depravatur autem, cùm ea, quæ alba ſunt, rubra, & quæ recta, curva apparent. Auditus itidem aboletur in ſurditate, imminuitur in gravitate illius, ubi nimirùm ſoni magni difficulter, exigui verò omninò non percipiuntur, depravatur demum in tinnitu, ſibilo, ac ſonitu aurium. Sic pariter ad modum iſtorum olfactus, & guſtus læſus jam obolitionem, jam immutionem, jam depravationem admittunt. Ex his autem omnibus tactus tandem aboletur, cùm is prorſus amiſſus eſt in Apoplexia, aut epilepſia, interim imminuitur in ſtupore partium, ac depravatur in pruritu, ſpecialiter tamen augetur in dolore, qui ſicuti ex his ſenſibus externis omnibus magis univerſalis, utpote per totum corpus diffuſus, prout ex Phyſiologia conſtat, ita etiam pro varietate partis affectæ varius eſſe ſolet. Hinc dolor, qui in tunica ventriculi, vel ejus orificii ſiniſtri nervea ſedem habet, propriè cardialgia dicitur, ille verò, qui in inteſtinis, dolor ilei, vel colicus, in membranis capitis, vel cephalalgia, vel hemicrania, vel cephalæa, in aurium, oculorum, aut dentium membranis, otalgia, ophtalmia, & odontalgia, in inteſtino recto dolor hæmorrhoidalis, in articulis podagra, chiragra, gonagra, aut dolor iſchiadicus in muſculorum membranis dolor rhevmaticus, in coſtarum verò pleuritis ſpuria appellari conſuevit. De dolore, ceu re ſummè controverſa, quemadmodùm etiam fusè ſcripſit, ipſe Galenus de ſympt. different. c. 3. & pluribus aliis locis, & plures alii ex Antiquis, nominatim Valleſius libr. 4. Montanus in univerſa ſua Medicina part. 2. pag. 500. Horat. Eugenius L. 11. Epiſtol. Medicar. 52. Argenterius de ſymptom. cauſis c. 14. qui ultimus præſertim dictis quatuor actionum læſarum ſpeciebus dolorem, ac voluptatem tanquam diſtinctas addendam putavit, alii verò ſoporem inſuper cum vigiliis nimiis adjiciendum exiſtimârunt. Sic etiam inter Recentiores necdum convenit de illo, dum aliqui eundem ad depravatam actionem, ùt vidimus refe-

rant, atque ita numerum læſarum actionum potiùs minuendum eſſe volunt, nos verò cum aliquibus quaternioni earum ex allatis ſuprà rationibus inſiſtendum putamus, eòquòd non erronea, aut perperam tantùm facta ſenſatio, ſed intenſa magis habenda ſit, quamvis libenter concedamus, tantùm à parte rei non intereſſe, ſive ad depravatam, ſive auctam referatur, quantâ contentione de eadem altercamur.

§. 5. Senſus jam internus, per quem ipſam facultatem animalem principem, aut potentiam, corporis affectiones ab externis ſenſibus recipientem intelligimus, ſenſu communi imprimis, dein phantaſiâ, aut imaginatione, atque potentiâ æſtimativâ, appetitu, ſeu judiciô latiùs ſumptô, & memoriâ adæquatè circumſcribitur, prout ex Phyſiologia ſufficienter conſtat. Numeratîs itaque omnibûs, ac ſeorſim attentîs, quæ è læſo ſenſu communi ſic dicto emergunt, vitiîs, ac mentis noſtræ deliquiîs, ea varia ſunt; quamvìs enim phantaſia, judicium, atque memoria fatiſcant, cùm ſenſus communis præter naturam afficitur, prouti contingit in Caro, Lethargo, & comate vigili, in quibus etiam phantaſiæ, memoriæ, ac rationis deliquia ſoporem comitantur, quia tamen hic ſenſus, nimirùm communis inter externos, atque internos, uti ſcimus ex Phyſiol. ambigit, ac mediat, & tam externorum centum, ac complementum ùt ibidem diximus, quàm internorum radix, aut initium exiſtit, morbi animi, qui à læſione ſenſus communis proficiſcuntur, à Medicis ſtrictè ſeparantur, ac diſtinquuntur ab iis, qui ſenſui interno ſtrictè ſic dicto, & eſſentialiter affecto tribuuntur, atque iſti ſymptomata paraphorica, illi verò cataphorica, aut ſoporoſa ſolent appellari. Læditur autem, ac in ſpecie aboletur ſenſus communis in apoplexia, epilepſia, ac catalepſi, quô ultimô ſymptomate qui corripiuntur, rigidi in eodem, in quo prehenſi fuerunt ſitu, ac ſtatu corporis permanent, atque immoti, apertîs licèt oculis nec vident, nec audiunt, nec ſentiunt, pulſu tamen, ac reſpiratione aliquô modô remanente, in quibus præter ſenſum motus etiam ferè æqualiter accuſatur. Sic dimminuitur in reliquorum affectuum cataphoricorum, comatoſorum, ac ſoporoſorum ſpeciebus, ùt comate ſimplici, in Caro, & Lethargo, ubi ægri tam altùm dormiunt, ut oculos vix aperire, minùs ad inter-

terrogata reſpondere valeant, licèt vellicati non nihil fortiùs, aut puncti aliquas ſensûs notas præbeant, ſalva manente reſpiratione. Augetur verò in Agrypnia, aut vigiliis nimiis quaſi, utpote quæ ex ſua natura aliud nil ſunt, quàm ſenſuum, peculiariter ſensûs communis exercitium nimium, ſeu præter naturam longum, ſomnum homini neceſſarium aufferens. Sicuti autem hîs modîs vitiari poteſt ſensus communis, ita phantaſia, ac judicium depravatur in paraphoricis affectibus, ùt in deliriis quibuscunque, Melancholia, amore veſano, mania, ſeu inſania, furore uterino, aliisque ſimilibus, atque ab his dependentibus ſpeciebus; ipſa verò memoria, quæ depravari propriè non poteſt, imminuitur in fatuitate, aut ſtultitia, abolетur autem penitùs in amentia, aut ſtupiditate, ubi ſciendum, memoriam abolitam oblivionem dici, quatenùs verò ſolum dimminuta eſt, eandem peculiari nomine non gaudere. Adeóque cùm earum tantummodò rerum ſcientiam habeamus, quarum ſpecies memoriâ tenemus, & quantum iſtâ excidat, tantum quoque noſtro judicio decedat, mirum non eſt, quòd ad memoriæ lapſum labatur & phantaſia, & corruat ratio ipſa, ut ita memoriæ ſymptomata cum phantaſiæ, ac rationis vitiis, ſive in earundem imminutione, ſive abolitione conſiſtentibus conjungatur; etſi nunc hujus, nunc illius vitium ſit præ cæteris inſigne, magíſque conſpicuum.

§. 6. Motus econtrà læditur, & quidem aboletur in Apoplexia, paralyſi, aliisque affectibus ſoporoſis, in quibus non ſolùm inſtrumenta motûs reſolvuntur, ſed etiam humores, ac ſpiritus in ſuo motu, ac influxu intercipiuntur. Imminuitur autem in laſſitudine, in qua motus fit debilis, & cum quadam moleſta ignavia, aut cum ſenſu peculiari cujusdam doloris eſſentialiter juncta peragitur. Depravatur econtrà motus in tremore, motibus convulſivis, ac epilepticis omnibus, in quibus muſculorum versùs ſuum principium contractio contingit. Quorſum ſpectant etiam vitia vocis, & loquelæ, tuſſis item, ſternutatio, oſcitatio, pandiculatio, rigor, & horror. Unde patet duplicis generis haberi motûs ſymptomata, quædam namque cerebri culpâ, ejùsque vitiô, aut labè pronaſcuntur, ùt convulſio, paralyſis &c. quædam verò inſtrumentorum motûs, ùt muſculo-

rum, aut articulorum noxam cauſam agnoſcunt. Cæterùm vitiatur pulſus, & auffertur ſaltem ad ſenſum in aſphyxia, quæ eſt animi defectionum, aut deliquiorum gradus ultimus, mortíque proximus; Imminuitur in ſyncope, aut lipothymia; & depravatur in palpitatione cordis, cujus tanta aliquando vis, atque vehementia obſervara fuit, ut teſte Fernelio Libr. 5. Patholog. c. 12. Thoracis vicinas coſtas effregerit. Reſpiratio demum læditur, quandò ea imminutè, ac depravatè peragitur, in diſpnœa, aſthmate, ac orthopnœa, cùm erecti reſpirare coguntur ægroti. Auffertur autem (puta ad ſenſum ſaltem) in opnœa, vel tandem augetur illa, prouti in febribus ardentibus fieri aliquandò experimur. Huc etiam referri debet vitioſus partium tonus; nam licèt Veteres, ac Galenici non niſi motum, eúmque voluntarium inter actiones animales retulerint, hodiedum tamen cum Recentioribus, ac Modernis, & pulſus, & tonus partium tanquam ſpecies motûs agnoſcitur, atque ita, motui, & actionum animalium claſſi accenſentur, & rectè: tonus enim (idem eſto de pulſu) ſi phyſicè ſpectetur, nil aliud eſt, quàm motus, licèt ille inſenſibilis, & hic non propriè localis exiſtat. Hinc, quamvis ab omnibus etiam Antiquis, & ipſo Galeno, prouti de intemperie jam advertimus, totâque ſchola Medica, toni, & pulsûs vitia ad motricis facultatis ſymptomata referentur, non iiſdem tamen, queîs nobis hodiè, apud illos nominibûs expreſſa ſunt. Sicuti autem abolitio motûs paralyſis, pulsûs verò aſphyxia, uti diximus, appellatur, ita tonus abolitus atonia propriè vocatur, ubi dein reliqua, quæ in ſtrictura, & tenſione toni, aut pulsûs occurrunt, vitia, anomaliæ, ac depravationes non propriè dicuntur ſpaſmi, ùt in motu locali, ſed affectiones ſpaſmodicæ, vel etiam clonodicæ, eoquòd toni, aut pulsûs depravatæ, ac vitioſæ ſtricturæ maximam quidem affinitatem, & ſimilitudinem habeant cum motibus convulſivis, quæ in ſenſu ſtrictè, ac propriè tali in genere motus tonicus eſt, ſeu tenſiva retractio fixa muſculorum, aut partium nerveo-muſculoſarum verſus ſuum principium involuntaria, dolorifica, cum corporis, aut membri retracti rigiditate, immobilitate, ac diſtenſione, ſalvô cæteroquin ſenſuum uſu, naturam penitùs haud aſſequantur. Inter ſpasmodicas autem, & clonodicas affectiones hoc notetur diſcrimen,

men, quòd in illis contractio dictarum partium fixa ſit, in his verò interpolata, & fugax exiſtat.

§. 7. Inter cœtera actionis læſæ ſymptomata ultimatò ſupereſt conſiderandum vitium, aut læſio actionis ſic dictæ vitalis, & quoniam potiſſima eſt nutritio, & auctio, prout aliunde ſatis novimus, unàcum reliquis ſubſervientibus, & miniſtris, qualis eſt chylificatio, ſanguificatio, ſecretio humorum, atque ipſa demum generatio. Nutritio, quæ eſt alimenti in ſubſtantiam corporis viventis converſio læditur, dum aboletur, aut imminuitur in atrophia, ſive totali, ſive partiali, ubi illam dein ſequitur marcor, ſeu viventis corporis contabeſcentia, ac conſumptio præternaturalis, hanc verò partis ſolùm, ut interdum brachiis, interdum cruribus contingit, aut quandò depravatur in cachexia, & ſcabie. Quòd autem Chylificationem, ſeu chyloſin ſpectat, & hæc ceu chyli ex cibo, potúque confectio abolita dicitur in apepſia, dimminuta in bradypepſia, depravata in dyſpepſia, atque alimentorum in ventriculo corruptela. Pari ratione tollitur ſanguificatio, ſeu hæmatoſis, aut cùm nulla ferè fit chyli in ſanguinem mutatio, aut imminuitur, quandò ſanguis ſemicrudus ex eodem elaboratur, aut etiam depravatur, cùm ſanguis corruptus atque ita calidus nimis, aduſtus, ſeroſus, vel ſaltus &c. inde generatur. Nec minùs vitiatur ſecretio, & vel aboletur in omnimoda alvi, urinæ, ac menſium ſuppreſſione, vel imminuitur in urinæ, aut menſium ſtillicidio, vel depravatur in cholera, in qua humores biliosi tam per inferiora, quàm ſuperiora excernuntur, vel tandem augetur in plurimis præter naturam ſe habentibus, & frequentioribus, & copioſioribus alvi fluxionibus, involuntariis tum fæcum, tum urinæ excretionibus, ut in gonorrhæa, præſertim verò Lienteria, ubi cibus ac potus inconcoctus, qualis aſſumptus eſt, per alvum iterum egeritur. Generatio demum & ipſa aboletur, cùm nulli liberi ſuſcipiuntur in ſterilitate, imminuitur autem, ſi pauci tantùm, iique imbecilles gerentur, quemadmodùm depravatur, ubi monſtra, vel partus mutili progignuntur.

QUÆSTIO III.

De Symptomatibus in Excretis, ac Retentis in ſpecie.

SUMMA.

1. Symptoma in excretis, & retentis quid? 2. Quotuplex ſit illud? 3. Quænam in ſpecie talia, & quidem quoad ſubſtantiam, quantitatem, ac qualitatem? 4. Quænam quoad modum, ſeu locum, atque tempus?

§. 1.

A*Lterum genus ſymptomatum*, de quo nobis hôc locô ſermo eſt, *vitium dicitur ſenſibile in excretis, ac retentis mediatè, ſcilicet mediante actione læſa, morbum velut umbra inſequens;* quemadmodùm in ſtatu naturali actionum integritas ſuccorum laudabilium, & humorum bonorum auctor exiſtit immediatus. Quod licèt certiſſimum, atque omnibus receptiſſimum ſit, non tamen ita expeditum, ac facile eſt, ſemper & in omni caſu ſtatim determinare, an potiùs ad excernenda, vel retinenda referri debeat ſymptoma aliquod? tam variè namque inter ſe intricata ſunt, pro ſuo vario, quem ſubinde habent reſpectu, ut, quod uno ſenſu dicitur excretum præter naturam, id alio iterum ſenſu, ac reſpectu retentum vitioſum dici poteſt, ac debet, cujus exemplum obvium datur in fluxu ſanguinis menſtrui exceſſivo, in quo ſanguis quantitate peccans rectè quidem dicitur ſymptoma in excretis, ob iſtum excretionis exceſſum, non minùs tamen etiam retinendum vitiatum vocari poterit, quia ſanguis tanquam humor utilis, ac vitalis in corpore potiùs retinendus hac ratione deficit, quod ipſum in vermibus, aut lumbricis contingit, qui totâ, ùt ajunt ſubſtantiâ præternaturales, & vel maximè excrementum ſunt in corpore humano, adeóque excernendi; nihilominùs tamen, cùm magis retentione ſua peccant,

eant, quàm excretione, retentum quoque præter naturam dici poſſunt. Sed omnem difficultatem evitabis, ac confuſionem, ſi in hoc genere ſymptomatum non ad ipſam inprimis excernendi, ſed ad excretionis materiam reſpicias, utrum nimirùm ea talis ſit, quæ pro hîc, & nunc in corpore noſtro retineri, vel ex eodem excerni poſtulet. Ita ſanguinis profuſio à morbo profecta ſymptoma eſt in excretis; quia materia excernitur, quæ retineri debebat, ita menſtrua omninò deficientia ſymptomata ſunt in retentis, eoquòd illud, quod evacuari opportebat, retinetur. Sic pariter menſium, & hæmorrhoidum, aliorúmque humorum excrementitiorum nimius, vel etiam imminutus fluxus ſymptoma rectè dicitur, ac pro eodem habetur, quoniam in quantitate materiæ excretæ, vel retentæ vitium eſt.

§. 2. Cùm itaque non ad ipſam actionem excretoriam, ſed excretionis materiam reſpiciendum, ac attendendum præcipuè ſit, hôc locô ſymptoma totuplex erit, quotuplex eſt modus, quô ea peccare ſolet, ac poteſt; peccat autem vel ſubſtantiâ, vel quantitate, vel qualitate, vel locô, vel tempore excernendi, prout de iisdem, quatenùs naturaliter ſeſe habent, quoad iſtos quinque modos inter effectus ſanitatis jam mentionem fecimus. Aliud ergò eſt 1. Ratione ſubſtantiæ peccantis, quandò ſcilicet aliquid, quod toto genere præter naturam eſt, totáque ſuâ ſubſtantiâ à vulgaribus, ac naturalibus excernendis, aut retinendis alienum, aut quod non debet excerni, ceu naturæ amicum, & naturale ex corpore noſtro excernitur. 2. Ratione quantitatis nunc excedentis, dum talia excrementa nimìs copiosè per alvum, urinam, uterum, hæmorrhoides, palatum, oculos, nares, aut tranſpirationem tam ſenſibilem, quàm inſenſibilem eliminantur; nunc deficientis, dum iſthæc juſtô parciùs excernuntur, in affectibus poſtea adducendis, aut impedita tranſpiratione ex conſtrictis cutis poris. 3. Ratione qualitatis, dum contingunt excretiones materiæ calidæ frigidæ, ſalſæ, tenuis, craſſæ, viſcidæ, aſperæ, acutæ, pungentis, aut vellicantis, duræ, denſæ, graveolentis, aut fætidæ, quales naturaliter fieri non opportet. 4 Ratione modi excernendi, aut loci, quandò excrementa non per debitas, atque à natura ad id deſtinatas vias, ſed, per alias præter naturam eliminantur. 5. Ratione temporis, ubi nimirùm

aliquid, quod excernendum eſt, citiùs vel tardiùs quàm par eſt, evacuatur, atque ita vel ante tempus naturaliter præfixum excernitur, vel ultra id in corpore detinetur, uti in menſium muliebrium affectibus præternaturalibus accidit, quod vitium quoad tempus, ab aliis tamen ad prius, ſcilicet ad quartum in modo, licèt id ſine ſpeciali, & efficaci ratione fiat; reducitur: Verùm enimverò hæc omnia ſedulò perpendenda ſunt, nec decretorias, ſeu criticas, ùt priùs monuimus, excretiones tanquam naturales operationes pro ſymptomatibus falsò habeantur, neque enim ſanguinis per nares excretio, quæ die ſeptimâ incidens ægrum à febre ardente liberat, ac ceu fida, perfectáque Criſis indicat, ſymptoma dici meretur, ſiquidem præter naturam, & morbi effectus dicenda non eſt, ùt jam diximus, ſed naturæ, ejusdémque roboris, quæ morbum ſuperavit, indicium, & opus, qua de re videatur Galenus ipſe Libr. de ſympt. diff. c. ult. & Valleſius Controverſ. Med. libr. 4. c. 5. de cauſ. ſymptom. aliíque plures tam ex Antiquis, quàm Modernis. Per exempla, quæ pro horum omnium diſtinctione mox adducemus, omnia evadent clariora.

§. 3. Excretorum itaque toto genere, ac totâ ſubſtantiâ præternaturalium vitia ſunt calculus, vermes, &c. alterius autem generis, ſi adeps, ſanguis, ſemen, carunculæ, aut inteſtinorum ramenta excernuntur. In quantitate autem, eáque excedente inter alia exempla ſunt vomitus frequentes, alvi fluxus immodici, diarrhæa, dyſenteria, diabete, fluxus hæmorrhoidum, menſium, aut lochiorum nimius, fluor albus mulierum, gonorrhæa, ſputum copioſum, ptyaliſmus, aut ſalivatio nimia, coryza, epiphora, ſeu lacrymæ excedentes, ac involuntariæ, ſudor copioſior, licèt negari haud poſſit, plura ex his ſymptomatibus etiam de vitio qualitatis participare. Contrà in deficiente quantitate ſe ſiſtit alvi ſiccitas, ejúsque obſtructio, urinæ deficiens quantitas, hujúsque retentio nimia, vel omnimoda ſuppreſſio, in dyſuria, & Iſchuria, tam renali quàm veſicali, menſes penitùs ſuppreſſi, aut imminutè fluentes, ſeminis, & lactis defectus, horúmque retentio, ſputi, aut ſalivæ, ùt & muci è naribus impedita excretio, aliáque his ſimilia. Quoad excreta in qualitate peccantia jam primum locum tenent ructus, qui varii ſunt,

ſunt, & quidem vel nidoroſi, vel bilioſi, vel acidi cruditatibus ventriculi, à quibus oriuntur, correſpondentes, vomitus item bilioſi, pituitoſi, nigricantes, aut purulenti, fluxus alvi, ùt lienteria, diarrhæa, dyſenteria, fluxus ſanguineus hepaticus, ſi tamen diverſus ſit à dyſenteria, urina purulenta, cruenta, gonorrhæa præſertim virulenta, menſes decolores, ſeroſi, & acres, lochia corrupta, ſputum purulentum, aut cruentum, ac ſudor variâ ratione vitioſus, fætidus præprimis, ſalſus nimiùm, vel vitioſus &c.

§. 4. Excretorum autem, modô, & locô peccantium, tanquam variorum ſymptomatum exempla ex obſervationum Medicarum ſcriptoribus conſtant etiam ſatìs, & ſunt talia fæcum alvinarum rejectio in illo, aut per umbilicum, prout ſpecialiter obſervavit Hildanus Centur. 1. obſerv. 51. aut etiam, prout is ipſe annotavit, per canalem peculiarem inguinis dextri, vel meatum urinarium Centur. 1. obſ. 74. & 75. Ipſam quoque urinam teſtimoniô ejus per vomitum, aut alvum aliquandò rejectam fuiſſe conſtat: ſic ſcimus ex ejusdem Hildani, ac Foreſti annotationibus per nares, os, aut mammas menſtrua fuiſſe excreta. Quod ſicuti inſolitum quidem, non tamen impoſſibile eſt, ùt diximus ita haud raró etiam accidere ſolet ſexui fæmineo, ut patiantur menſium fluxum inordinatum, atque ita rursùs quoad tempus in excretionibus vitium detur, ſi nempe ſtatum tempus, vel antevertunt menſtrua, vel etiam poſtponunt, adeóque intempeſtivè prorumpant, aut tempore non debitô appareant. Ubi notanter adhuc addimus, retenta quoque præternaturalia totuplicia eſſe, quotuplicia hucusque excreta diximus, quamvìs enim non diffiteamur, talia potiùs ad cauſas ſpectare morborum, nihilominùs diverſus conſiderandi modus ipſis etiam hìc locum concedit. Hinc retentorum totô genere, ac ſubſtantiâ præternaturalium exemplum porrò manifeſtum præbet calculus, aut vermes, in quantitate excedente pinguedo nimia, aut obeſitas, in qualitate humores pravi intra corpus remanentes, v. g. in Anaſarca, aut Leucophlegmatia, licèt de reliquis, ſcilicet de retentis locô, ac tempore peccantibus admittamus, ea vix ſincera eſſe, daríque talia, quæ non participent de alio vitiorum jam enumeratorum modo, vel in quantitate, vel in qualitate vitioſa, atque ita ad

excreta, ac retenta alia ſimul referri poſſit, debeátque. Ex quibus omnibus jam ultimatò deducimus, ac univerſaliter ſymptomata excretorum, & retentorum fieri, cùm excernenda præter naturam retinentur, ac retinenda præter naturam excernuntur, utraque tamen ſub diverſo reſpectu, quatenùs vel ad morbos generandos concurrerre poſſunt, vel ab iis tanquam effectus dependent, jam ad cauſas morborum, jam verò etiam ad ſymptomata referri poſſunt. Quod ulteriùs ut in exemplo oſtendamus ad oculum, conſiderare tantùm lubeat calculum, aut vermes, qui in ſe ſunt retentum toto genere præter naturam, quia ſequuntur chylificationem, aut ſanguificationem læſam, ceu ſymptoma morbum ſuum immediatè ſequens v. g. intemperiem ventriculi, ac inteſtinorum frigidam, ùt diximus. In quantum autem illi roſione, vellicatione, aut morſu continuitatem inteſtinorum, vel manifeſtè, vel occultè ſolvunt, quam immediatè dolor ſequitur, rectè ſibi locum vendicant inter cauſas, quas alibi jam inter illos conſideravimus. Sic pariter polypus in naſo per ſe eſt morbus, quatenùs verò is ipſe narium cavitatem pro muci excretione neceſſariam obſtruit, cauſa revera evadit morbifica, morbi ſcilicet in via præter naturam anguſtata, ſeu obſtructionis.

QUÆSTIO IV.

De Symptomatibus qualitatum corporis mutatarum in ſpecie.

SUMMA.

1. Quid Symptoma qualitatum mutatarum? 2. Quotuplex hoc? 3. Quæ qualitatis viſibilis? 4. Quæ olfactilis? 5. Guſtatilis? 6. Tactilis? 7. & demum quæ audibilis ſymptomata?

§. 1.

TErtium tandem Genus ſymptomatum conſtituunt corporis noſtri qualitates præter naturam mutatæ; quatenùs enim & hæ

hæ morborum effectus ſunt, meritò in ſymptomatum claſſe numerantur. *Eſt ergò ſymptoma qualitatis mutatæ vitium texturæ materialis corporis noſtri, ac partium ejusdem, à ſymptomate in excretis, & retentis immediatè, mediatè verò ab actione læſa, & morbo dependens, ínque ſenſus noſtros externos manifeſtè incurrens, cum quadam partium corporis præter naturam inducta alteratione.* Priusquam & hujus differentias ſtatuamus, juvat hìc inculcare cautelam illam jam alibi inſinuatam, ut ſcilicet benè attendatur, ne diſpoſitiones, aut potentiæ ipſæ præternaturales, ſeu ipſorum organorum ſenſitivorum vitia cum vitioſis qualitatibus, ùt quidam faciunt, ſiniſtrè confundantur; illa enim veri partium dictarum morbi ſunt, quos actio ſenſuum læſa ſequitur, hæc verò accidentia præternaturalia, quæ in aliis etiam partibus extra ſenſum illum, à cujus vitio denominationem accipit, occurrunt, & talis eſt color vitioſus, qui qualitas etiam eſt viſibilis præternaturalis; licèt tantùm in cute, manûs, pedis, aut alterius partis appareat. Ita rursùs murmura inteſtinorum ſunt audibilis qualitas præter naturam ſe habens, & ſic intelligendo de reliquis ſenſibus omnibus. Sed jam ad diviſionem.

§. 2 Ubi ante omnia rursùs dextro cum judicio applicentur, quæ in Phyſiologia de qualitatibus ſenſibilibus, harúmque differentia inter effectus ſanitatis diſſeruimus; quamvìs enim iſtæ phyſicè multùm diverſæ ſint, prout pariter ex Phyſica novimus, atque etiam harum mutatio diverſas pariat differentias, omnes tamen ferè ex viſu, odore, guſtu, auditu, & tactu cognoſcuntur, ac percipiuntur, ut ita non juxta primarum, ſecundarum, aut tertiarum qualitatum, ſi darentur, diviſionem, ſed pro ſenſuum externorum numero, ac diverſitate convenientiùs diſpertiantur, adeóque quintuplex ſit ſymptoma qualitatis mutatæ. Et quidem viſu 1mò cognoſcuntur colores præter naturam in corpore exiſtentes quomodolibet vitiati, ubi tamen ſciendum, ac benè advertendum, quòd, ſi alicui objecta appareant rubra, aut alio colore peregrino, & alieno tincta, quæ tamen à parte rei talia non ſunt, neque revera ita colorata exiſtunt, illud ſymptoma non habendum vitioſæ qualitatis in colore, ſed ipſius actionis læſæ viſivæ, aut organi ſenſitivi, ùt priùs inſinu-

avimus, & ſic de omnibus ex ordine ſequentibus. 2dò odores præter naturam olfactu percipiuntur, quandò nimirùm homo, vel ex parte ſolùm tetrum odorem ſpirat. 3tiò. Sapores vitioſi guſtu. 4tò. Tactu qualitates omnes, ſecundùm Doctrinam Peripatetico-Galenicam, primæ, aut ſecundæ dictæ, mox ſpecialiùs exprimendæ. 5tò. demum ſonus, aut ſonitus præternaturalis omnis ſentitur ab auditu. Atque ita ſenſibus noſtris ſubjiciuntur ſubſtantiæ, iiſque ſenſibiles evadunt per dictas qualitates, non quidem entitativè ab illis diſtinctas, & ex ſua natura abſolutas, ſed tantùm per diverſos agendi modos, motúsque, ob diverſam combinationem, ſitum aut nexum particularum reſultantes. Et licèt quoad hanc, ſymptomata qualitatis mutatæ dividendi, rationem recedamus à Veterum ſyſtemate, retinemus tamen antiquam, quia commoda eſt, ac ratione fundata, univerſalem, ac genericam ſymptomatis differentiam exponendi, illúdque diſcriminandi methodum; non enim omne vetus nobis etiam obſoleſcit, veneranda eſt antiquitas, licèt magis adoranda veritas, pro qua eruenda in tota Pathologia pro viribus laborabimus, & impoſterum nullius me laboris aut tædebit, aut pænitebit.

§. 3. Ad ſymptomata qualitatis mutatæ viſibilis referri inprimis debet color in ictero, flavo & nigro ſenſibilis, ubi totum corpus citrinum, & flavum, vel etiam nigrum apparet, aut in chloroſi, cùm decens ejus habitus in pallidum mutatur, vel ſi in febribus ardentibus, atque inflammatoriis color linguæ rubicundus, ceu naturalis in nigricantem convertitur. Hujus loci ſunt etiam rubedo oculorum in ophtalmia, reliquíque colores peregrini, aut alieni, ſive maculæ illæ, quæ quandoque in oculorum tunicis obſervantur, & notantur. Maculæ item cutaneæ variæ, ùt hepaticæ dictæ, ſcorbuticæ, volaticæ infantum, morbilli, petechiæ, nævi materni, ephelides, lentigines, & ſi quæ ſunt alia hujus farinæ morboſa accidentia, atque coloris defædationes &c. Ad hæc tamen ſecundariò etiam referendi ſunt colores excrementorum vitioſi, qualis eſt tinctura urinæ rubra, aut ſubrubra, nigricans, vel pallida, ſpicea, viridis: Cujus claſſis ſunt etiam fæces alvinæ decolores, vel etiam intenſiùs coloratæ, utpote

pote quæ omnia inſignem uſum habent in Semiologia, & ſigna haud levia ibidem nobis ſubminiſtrant.

§. 4. Ad ſymptomata qualitatis mutatæ olfactilis pertinet propriè pravus corporis humani, ejúsque partium odor, qui vel ex toto, vel aliqua ſolùm ex parte exhalat, quorſum ſpecialiter referendus eſt fætoris in ſcorbuto, fætor narium itidem, alarum, inguinum, ac pedum prænaturalis. Univerſim autem ſub hoc genere omnes putredinoſi, ac purulenti affectus comprehenduntur, è quibus cadaveroſus ille, qui in maligna ſcabie, lepra, elephantiaſi, ex corpore emittitur, fætor non excluditur. Utrùm tamen rectè ſentiant, qui cum Plempio in Fund. Medicin. Libr. 4. ſect. 3. c. 4 volunt, accenſeri nequire fæcum alvi, ſudoris, urinæ, aliorúmque excrementorum fætorem, quia ſub ſecundo ſymptomatum genere, ſcilicet ſub excretorum qualitate peccantium vitio continetur, litem haud movebimus, utpote nulli uſui futuram; interim notamus, quòd ſi hoc verum ſit de odore iſtorum excrementorum, ceu ſymptomate in excretis potiùs præternaturalibus qualitate peccantibus, id negari ampliùs haud poſſit de coloribus eorundem vitioſis ob paritatem rationis, quæ tamen à nobis priùs in cenſum ſymptomatum qualitatis mutatæ, ſaltem ſecundariorum relata ſunt, ut ita vel de omni, vel de nullo dici cum veritate mereatur.

§. 5. Ad ſymptomata mutatæ qualitatis guſtabilis reducendus eſt, ſapor humorum vitioſus, ac præternaturalis, in lingua manifeſtus, ísque varius, qualis eſt præcipuè febricitantium, aut ictericorum amarus, vel catharro laborantium ſalſus, aut acris eorum, qui ſcorbutô detenti ſunt: ubi enim (quod Obſervationes Practicorum teſtantur, & ſemper experiri licet) corpus ichorosâ diſpoſitione ſanguinis, & magna intemperie, aut dyſcraſiâ ſalinâ præditum eſt, lambendo per totum corporis ambitum quædam ſalſugo percipi ſolet. Probè autem attendendum, ne cum læſo guſtatu, qui ſolius linguæ vitium, adeóque longè aliud quid eſt, incautè confundatur, quod uti hic, ita & in cæteris juxta factam admonitionem locum habet. Interim tamen, licèt huc referri mereantur juxta dicta excrementa quædam, qualia ſunt in ſpecie ſudor, aut urina, aut etiam aurium ſordes, cerumen dictæ, ſi talia ad explorandas eorum qualitates

tes mutatas guſtu percipere non indignum, atque indecens judicaverit, per nos id quidem facere licebit; ſciat verò ille, ſe nos nunquam habiturum ſectatores in re adeò turpi, ſimúlque nullius usûs, aut momenti, niſi ad faciendum, ùt Agyrtæ, & Circumforanei aſſolent, plebeculæ fucum.

ſ. 6. Ad ſymptomata mutatæ qualitatis tactilis ſpectat propriè exceſſus omnis in qualitatibus, aut primis, aut ſecundis dictis, utpote caliditatis, frigiditatis, humiditatis, & ſiccitatis, mollitiei, ac duritiei, levitatis, & aſperitatis &c. quas omnes rurſùs non per accidentis, ſed ſubſtantiæ rationem, pérque particularium in motu, ſitu, vel figura modificationem variam, proùt ex Phyſiol. ſcimus, cum Modernis explicatas volumus. Inter tactilis ergò qualitatis vitia numerantur teſte ipsô Galenô de differ. ſympt. c. 5. cutis dura, diſtenta, & præarida, ſic etiam præhumida, vel rugoſa, vel aliâ quâpiam differentiâ talî prædictâ, ut ita vitia cutanea, quæ eandem vel exaſperant, vel laxant, ac emolliunt, jure merito huc referantur, ex prioris generis ſymptomatis ſunt gutta roſacea, alphus, ſive morphæa, epinyctides, phlyctenæ, ſirones, vari, & ſimilia. Præcipuè autem hujus loci eſt omnis calor præternaturalis, vel frigus tale, quatenùs iſtæ qualitates tactu percipi poſſunt, ùt habet Galenus noſter 1. in 6. Epidem. t. 29. de calore febrili in ſpecie dicens: quemadmodùm ſapores guſtu ſentiuntur, eôdem modô, tactu ſcilicet febres cognoſcuntur. Ne tamen fortè nobis ipſis præjudicemus, benè intelligenda ſunt, quæ hic de qualitatibus primis, tanquam ſymptomate memoramus, qui prius ipſi id ipſum vitium qualitatum, peculiariter autem calorem, frigus &c. pro intemperie, conſequenter pro morbo agnovimus, diſtinguendum quippe eſt inter intemperiem calidam ceu morbum, qui ab intellectu ex ſenſu tactûs cognoſcitur, & inter calorem ceu ſymptoma, qui tactu perceptus ſignum nobis eſt illius intemperiei calidæ, ut ita non velut morbi intemperiei actionem lædentes, ſed ùt effectus læſam actionem inſequentes, aſſenſibiliter nos afficientes cum quadam permanentia, hôc locô intelligendæ veniant. Verùm quid multis! nos qui calorem, & frigus pro effectu potiùs intemperiei habemus, non adeò ſcrupuloſi eſſemus, ſi urgeremur, etiam omnem in qualitatibus vulgò primis exceſſum, ac defe-

defectum pro ſymptomate habere, cùm ex noſtris principiis non iſtarum qualitatum vulgarium mixtio, aut mixtura, ſed particularum elementarium ſalino-ſulphurearum, aquearum, ac terreſtrium, modificatio, vel combinatio, earúmque ſitus, aut motus vitioſus ſit ipſa intemperies, uti in Prolegomenis docuimus. Videantur tamen ad horum diſcrimen meliùs capiendum, quæ de morbo malæ conformationis in ſuperficie diximus, & res clarè patebit ex illo, quem habent, diverſo reſpectu.

§. 7. Poſtremò, ac ultimò ad ſymptomata qualitatis mutatæ audibilis, ſoni præternaturales reducendi ſunt, quæ quidem affectiones, licèt reliquîs rariùs occurrant, ac propterea nec paris cum iisdem ponderis, aut momenti habeantur, non tamen penitùs negligendæ ſunt, vel obiter tantùm pertractandæ more multorum. Neque deficiunt etiam horum exempla, utpote quæ manifeſta ſunt in borborygmis, ſtridore dentium, voce clangosa, ructibus, ſtertore apoplecticorum, atque aurium tinnitu, qui ùt & ſibilus earum, ac ſonitus, quatenùs impeditum, ac depravatum auditûs ſenſum dicit, ad ſymptomata actionis læſæ referendus, in quantùm tamen ipſe ſonus in ſe conſideratur, atque ſub hac ratione percipitur, vitium qualitatis audibilis conſtituit, quod utrumque ſano ſenſu acceptum fieri poteſt, ac debet, unum idémque hìc quidem in ratione ſymptomatis, & alibi ſub ratione morbi pro diverſo concipiendi modo, quem hucusque toties inculcamus, atque iterum inculcamus, ad evitandam omnem confuſionem, rectè conſideratur, ac tractatur, quòd non ſolùm ratio iſtorum naturalis ſuadet, ut omnia clarè, ac diſtinctè tradantur, ſed & uſus ipſe, quem in Semiologia poſtmodùm tum quoad diagnoſin meliorem, tum quoad prognoſin formandam certiorem experiemur, neceſſariò requirit. Ubi hoc ſolùm ſuperaddimus finaliter notandum, præter modò dictas qualitates, quæ à ſingulis ſenſibus privatim, ac propriè comprehenduntur, aut cognoſcuntur, dari quædam communia ſenſibilia, ſeu objecta pluribus convenientia, atque ſub genere ſymptomatum qualitatis mutatæ intelligenda, qualia ſunt figura, magnitudo, numerus, & ſitus, ſi nimirùm præter

naturam ſeſe habeant, atque morbum aliquem inſequantur, ùt eſt naſi acuties, oculorum concavitas, aurium contractio, temporum collapſus, & ea omnia in facie Hippocratica L. 1. Prognoſt. deſcripta ſunt. Quibûs etiam totum modò claudimus Librum in nomine ejus, à quo Virtus exibat, & ſanabat omnes Luc. c. 6. ubi & nobis non eſt alius, quàm ſalus Proximi

FINIS.

O. A. M. D. G.

PARERGA

Ex reliquis univerſæ Medicinæ Libris.

Ex Phyſiologia.

SAnitas corporis humani quà conſervanda, & quà reſtituenda eſt Medicinæ objectum formale ſeu finis, 2. materiale verò ipſum corpus humanum ſanabile, aut ſanitatis causâ tractabile, 3. quod conſtat eſſentialiter animâ rationali ceu principio verè informante, & corpore organico. 4. cujus materia prima ſunt atomi, ſeu corpuſcula minima ſimplicia, ingenerabilia, & incorruptibilia 5. quorum ingens eſt varietas in proprietatibus mechanicis ſcilicet figurâ, magnitudine, motu, gravitate &c. 6. quin imo etiam natura differunt, cùm eorum aliqua magis activa in actu primo viventia ſint. 7. quæ dein per debitam combinationem unita animam ſenſitivam nobis conſtituunt in brutis. 8. ut ita in his & reliquis corporibus omnibus naturalibus viventibus præter hanc combinationem dictarum atomorum nulla detur forma materialis tam ſubſtantialis, quàm accidentalis abſoluta realiter ab iis diſtincta. 9. aliud nobis tamen eſt in homine, in quo formam ſubſtantialem prout eſt materia diſtincta, admittimus, 10. quæ 1ma radix eſt, ac formale principium omnium operationum tam ſpiritualium quàm materialium. 11. Sanitas eſt diſpoſitio ſeu modificatio talis corporis humani viventis, per quam illud formaliter ponitur in potentia immediatè & proximè expedita agendi naturaliter. 12. adeóque etiam phyſicè accepta à partibus ſuis non eſt realiter diſtin-

ſtincta, ſed tantùm modaliter. 13. conſiſtit autem hæc in partium temperie, organizatione, ac unione debita. 14. cujus ſubjectum eſt quidem corpus humanum ſed tantùm quoad partes ejus ſolidas viventes & animatas. 15. non autem fluidas, quæ juxta nos non vivunt. 16. quaternio humorum Galenicorum ex albo naturalium expungendus eſt. 17. neceſſariò tamen admittendus ſpiritus tam inſitus quàm influus. 18. quorum prior nobis anima eſt, aut ſi mavis, potentia ſenſitiva. 19. actiones quatenus ſunt effectus ſanitatis omnes, chymico - mechanicè tum per fermentationem, reſolutionem, extractionem ac tranſcolationem, tum etiam variam fibrarum commotionem, nec non fluidorum influxum fiunt. 20. ex his chylificatio incipit in ore, 21. continuatur in ventriculo, 22. & abſolvitur in inteſtinis. 23. è quibus chylus per vaſa lactea ad receptaculum commune & ductum thoracicum, inde ad venam ſubclaviam propellitur 24. cum ſanguine commiſcendus, & cum eodem circulando in talem convertendus. 25. ut adeò chylificatio nec in Hepate amplius, 26. nec in corde determinatè, 27. ſed in omnibus partibus fiat, & ſanguis ipſe per motum ſuum inteſtinum ac progreſſivum ſanguificet. 28. qui ſicuti omnibus reliquis humoribus materiam præbet, 29. ita etiam ad partes continuò appulſus pro nutritione earum ſerum ſuum gelatinoſum chyloſum ac ſpirituoſum ibidem deponit, 30. & ſic nutritionem ſemper & ultrà annos acretionis etiam continuat. 31. conceptio fit ovuli muliebris ab aura ſeminali accenſione. 32. quâ ſtante ſententia nihilominùs probabiliùs eſt, fæmellas ex ſiniſtri, maſculos verò dextri lateris ovulis naſci. 33. in quibus jam omnes corporis humani partes inſenſibiliter delineatæ ſunt, 34. & quidem ab anima ipſius matris. 35. ovulum dein materno illapſum utero ſolâ vivit animâ ſenſitivâ materiali, 36. cui poſt ſufficientem organizationem demum ſupervenit anima rationalis à Deo creata. 37. quare neceſſaria videtur animarum ſucceſſio. 38. motus cordis & arteriarum eſt actio animalis 39. qui dependet ab irritante ſpirituum animalium influxu. 40. reſpiratio eſt motus muſculorum thoracis ac diaphragmatis. 41. cujus finis primarius non eſt ſanguinis refrigerium. 42. nec materiæ pro ſpiritibus animalibus ſubminiſtratio, 43. ſed reſpi-

reſpiratio pro aëreæ portionis , ſalino - nitroſæ ac elaſticæ cum ſanguine remixtione 44. ſecundarius verò exſpiratio pro fuliginum expulſione , vocis prolatione &c. à natura inſtituta. 45. appetitus ſeu fames & ſitis, quatenus eſt actio animalis. 46. cauſam habet eſurinum ventriculi fermentum , tunicas ejus verſus ſuperius orificium vellicans ac rodens , 47. eſt verò illud naturæ ſubſalſæ ac volatilis. 48. motus muſculorum ſeu localis fit contractione vel abbreviatione fibrarum eorundem motricium. 49. pulſus cordis eſt actio verè animalis , 50. cujus uſus aut finis eſt naturalis ipſe ſanguinis circulus , ac humorum diſtributio per corpus principaliter continuandus.

Ex Semiologia.

51. Signum Medicum eſt omne id , quod notis, ac ſenſibus obvium, aliud ignotum & occultum pro uſu Medico manifeſtandi vim habet, 52. dividitur in anamnyſticum , diagnoſticum & prognoſticum. 53. ſignorum fontes univerſim tres ſunt , ſcilicet antecedentia eſſentialiter inhærentia , & ſubſequentia. 54. uroſcopia , licèt de chylificationis , ſanguificationis , ac partium præſertim diureſi litantium conſtitutione quid prodat , 55. in determinandis tamen affectibus particularibus & maximè ſexu , graviditate &c. inde eruenda fallax eſt. 56. & ſicuti ſphygmologia ordinariè vigorem vitalem ac præcipuè febres arbitratur , ita in reliquis eidem parùm fidendum. 57. hinc pulſus in ſoporoſis affectibus , vix ſigni nomen meretur , 68. ùt & urina in iis morbis , qui contenta corporis non afficiunt,

Ex Hygiene.

59. Diæta eſt legitimus ſex rerum non naturalium uſus, 60. juxta quem ſpectando victûs rationem meliùs eſt impleri potu quàm cibo , 61. quamvis circa hunc etiam maximè attendi debeat , ſubſtantia , quantitas ejus , ac qualitas , ordo , modus ac conſuetudo. 62. motus omnis ,

omnis, ut ſalutaris ſit, inſtitui debet ante, non poſt cibos aſſumptos, 63. neque tutum eſt poſt quietem corpus ſtatim vehementiùs commovere, 64. ſomnus eſt feriatio aut ceſſatio ſenſuum tum inquàm externorum 65. ſomnus meridianus, licèt ab aliquibus ex toto improbetur, id tamen ſuos limites patitur.

Ex Therapevtica.

66. Methodus medendi rectè definitur ars, quâ per indicationes auxilia inveniuntur ad deperditam hominis ſanitatem reſtituendam. 67. indicatio in genere eſt oſtenſio rei agendæ ab indicante profluens, 68. indicans verò eſt agens aliquod in corpore humano vivente exiſtens, quod per ſe auxilium pro recuperanda hominis ſalute indicat vel ſuggerit. 69. ubi indicatum illud dicitur, quod ab indicante fieri præcipitur vel indicatur; ipſum nempe remedium, 70. cujus materia per quam tanquam per medium aut inſtrumentum indicatum peragitur, vel ex fonte pharmacevtico vel chirurgico, vel diætetico deſumenda eſt.